CHRISTIANI LIBERII
*Germani*

# ΒΙΒΛΙΟΦΙΛΙΑ.

SIVE

*De ſcribendis, legendis & æſtimandis*

LIBRIS

*Exercitatio Parænetica*

Ad ſolidæ & *ἀνυποκρίτου* ſapientiæ
*Candidatos.*

*Interſerta quædam ſunt* de Plagio litte-
rario, Thraſoniſmo Theologorum,
*variiſque aliis hodiernæ Μισο-
βιβλίας* cauſis.



ULTRAJECTI,
Apud FRANCISCUM HALMA,
Anno MDCLXXXI.

# Præloquium.

ACcedit ad te, Lector, *Tractatulus brevis de* Βιβλιοφιλίᾳ, *haud in eum à me concinnatus finem, ut per numerosum Exemplorum Choragium, quosvis fere librorum* Scriptores, Lectores, Æstimatoresque *ob oculos tibi ponerem; factum id enim abunde satis ab aliis ex* Zuingero, Rhodigino, Alstedio, Beyerlingio, *aliisque tum Diaristis tum Encyclopædistis, quos perlegere, nedum magnam eorum partem exscribere, neque tempus hactenus tulit neque animus: sed ut tum editionis, tum lectionis librorum, justam fructuosioremque rationem compendiario exponerem; Quâ tamen occasione, paucula etiam* βιβλιοφίλων *exempla ad partes vocare, nec non, ex lege contrariorum, de scribentium legentiumque vitiis, præsertim de hodiernæ ac vulgatæ nimis* μισοβιβλίας *causis*, Ignaviâ, Avaritiâ, Innovandi prurigine, Fastu Theologico & Invidiâ, *paucis verbis disserere, necesse habui; ut nempe certius ita feliciusque*

*que quosvis genuinæ sapientiæ Studiosos, ad laudabilem, quem proposuêre sibi portum, manuducerem simul & incitarem. Tu, quæ tuo hic offeruntur bono, pio animo accipe, ἐυνομόνως καὶ ἄνευ πάθων expende, sique justo me forsan contra scriptores quosdam ὀγκωδεστέρους, hic illic offenderis acriorem, benevolenter ignosce. Quum enim quenquam vix Eruditorum invenias, qui ab omni ad superbiam hanc litterariam tentatione immunis plane sit, operæ me pretium facturum esse existimavi, si qualicunque hocce meo conamine, ingenuos animos contra immanem istam belluam, præmonerem non tantum; sed & præmunirem.* Vale.

BIBLI-

# ΒΙΒΛΙΟΦΙΛΙΑ.

SIVE

De *edendis*, *legendis* & *æstimandis*

LIBRIS

*Exercitatio Parænetica.*

§.

I. Os, *qui libros scribimus* (inquit alicubi Drusius) *communi vitio cum cantoribus laboramus, ægri ad scribendum adducimur, ubi semel cepimus, desistere nequimus*. Ita ille de iis, qui edendis libris assueti sunt; at vero & ipsos illos qui scriptione hactenus abstinuerunt, nescio quali non impetu eodem sæpenumero ferri, nimis quam manifestum est. *Tenet* enim, è *Juvenalis* dicto, *In-*

*Drus. Adag. Hebraic. Decur. 2. adag. 10.*

*Juven. Satyr. 7.*

*Insanabile multos*
*Scribendi Cacoëthes.*

II. Quare & jam olim modo complures fuere πολύγραφοι: *Zeno*, Stoicorum Pater, usque ad *septingenta quinque* συγγράμματα sive opuscula evulgavit. *Epicuri* scribendi pruritus ad volumina *ter centena* usque processit, quorum unumquodque varia insuper συγγράμματα complectebatur. Græci (ut obiter id moneam) non tantum ἐνειλήματα; sed & κυλίνδρους ea vocitabant, quia κυλίνδρου formam convoluta referebant. complicabant enim Veteres in rotundum quæ scribebant, sicut hodieque Judæi in Synagogis legem in membranâ convolutam habent. Unde & vox גלל *volvere*, libris applicatur. *Es.* XXXIV. 4. qui & πτύσσεσθαι καὶ ἀναπλύσσεσθαι *complicari* & *explicari*, id est, claudi & aperiri inde dicebantur. De *Galeno* medicorum

*Ammian. Marcellin. lib. 22.*

*Fernel. in oper. Præf.*

dicorum Principe narratur, quod libros de *Re Medicâ* ſupra *quadringentos*, de aliis Diſciplinis *ducentos quadraginta* conſcripſerit. Unus *Servius Sulpitius*, inter Jure-conſultos, *centum & octoginta* libros de Jure civili *poſteris* reliquit. *Ariſtarchus Grammaticus*, Alexandrinus, ſub Ptolomeo Philometore, *ſupra mille* commentarios litteris conſignavit. *Callimachus Cyrenæus*, Batti filius, nobilis inter Græcos Poëta, ultra *octies centena millia* librorum conſcripſit. Inter Hebræos *Eſdra*, præter *quatuor ſupra ducentos* alios libros, *duos & ſeptuaginta* de ſolâ Kabbalâ vulgari curavit. *Hieronymus ſex* librorum Origenis *milla* legiſſe ſe affirmat. *Theophraſtus trecenta* volumina publici juris fecit. *Dydimus Grammaticus quatuor millium* librorum author extitit. De *Chryſanto Sardiano* refert *Eunapius*, quod, utut octogenario major, tantum tamen

*Lomejerus de Biblioth.cap.13. pag m. 373. Lib. Mazor. num. 12.*

*Genebrard. Geograph. lib 2.*

*Montagne Essais. liv. 3. Chap. 9.*

*Drexel. Aurifod. part. 1. cap. 17.*

men *librorum* numerum manu propria exararit, ut extremi digitorum ejus articuli, ob juge ſcribendi exercitium, incurveſcere tandem inceperint, ipſeque ſub ſcriptionis mole intermortuus ſit. *Mercurius Triſmegiſtus*, de univerſâ Ægyptiorum ſapientiâ, *ſex millia* librorum *quingentos viginti quinque*, in dias luminis auras protruſit. *Johanni* denique *Wiclefo*, ducenta volumina attributa legimus. Quin & ipſe ſequior ſexus, ſcripturientium numerum auxit. Ex hoc fuit *Angela Veronenſis*, quæ Eclogas quaſdam, *Anyta*, quæ Carmina Græca, *Areta*, quæ quadraginta libros, *Argineta*, quæ res geſtas Dionyſii, *Alkonora*, quæ Epiſtolas aliquot ad Cæleſtinum I. *Iſota Novarolla*, quæ præter litteras ad Nicolaum V. & Pium II. datas, dialogum, quo diſputabatur, *utrum gravius peccarit Adam an Eva*, orbi erudito exhibuit.

hibuit. Mitto *Theanas* varias, Thuriam, Cretensem, Lorcensem, *Pamphilem* Socratidis uxorem, *Eudoxiam* Leontii Atheniensis filiam. *Hypatiam Alexandrinam*, *Zenobiam* Palmyræorum Reginam, aliasque multas, quæ non eruditione tantum, sed & scriptis suo quæque tempore inclaruerunt. Una *Cassandra Veneta* non prætereunda, de quâ apud Hottingerum *Politianus*, quod pro *lanâ librum*, pro *fuso calamum*, pro *acu stylum* solita fuerit tractitare, multorum, tum carminnm latinorum, tum peculiaris de *scientiarum ordine* Tractatus concinnatrix.

*Hotting. Histor. Eccles. part. V. pag. (a) 5.*

III. Proinde & dubio procul ipsissima hæc variorum πολυγραφία fuit, quæ jam retro aliquot seculis Terrarum orbem infinitâ pene *librorum* mole oneravit. Bibliotheca Constantinopolitana *duodecim* librorum *millia* olim comprehendit; at quam minutula hæc, comparatione ad alias

*Genebr. lib. 4. pag. 704.*

longe instructiores factâ! Quæ *Alexandriæ* fuit, anno post mundum conditum, 3704, juxta aliorum calculum 3680. à *Ptolomæo*, Ægypti Rege instituta, 400000. vel, ut alii, 700000 volumina continuit. Quæ omnia bello Alexandrino priore, dum diriperetur ea civitas, non sponte neque operâ consultâ, sed (testante Agellio) *a militibus forte auxiliaribus incensa fuerunt.* Licet alii sint, qui non sine colore, *trecenta* adhuc eorum *millia* ab incendio servata fuisse existimarunt. *Serenus Sammonicus*, Gordiano Juniori, *librorum* 62000 Bibliothecam, Testamento legavit. *Pamphilus Martyr*, Cæsariensis presbyter, cujus vitam tribus libris delineavit Eusebius, *triginta* librorum *millia* solus possedit. *Aldus Manutius* octoginta millium librorum Academiam *Pisanam* hæredem instituit. Complexa est *Maximiliani* I. Imperatoris Bi-

*Agell. lib. 6. cap. 17.*

*Petr. Mess. lib. 3. cap. 3.*

Biblotheca, libros *quinquagies mille*, tum typis impressos tum Manuscriptos. Quin & ipsa Bibliotheca *Constantinopolitana*, de quâ supra, *Theodosii Junioris* studio, qui conquirendorum librorum desiderio, *Ptolomæo* inferior non fuit; adeo tandem aucta & exornata fuit, ut *decem* librorum *Myriades* continuerit.

*Lomejer. de Bibliothec.cap.7.*

IV. Quodsi vero priscis illis temporibus, tot modo voluminibus scatuerit mundus, quot non jam quidem saburratum eum esse existimes! Cum tanto plures elapsi sint anni, tot res, calamo dignæ acciderint, quæ antea non fuerunt, scientiæ & disciplinæ adeo auctæ & multiplicatæ sint, carnalisque φιλοτιμία, quæ multis ad scribendum unicus sæpe stimulus est, millecuplo forsan magis mortalium animos occupaverit, quam simplicioribus illis temporibus. Accedente insu-

*Fritsch. de erudit. vit cap. 6.*

 per

per *Typographiæ* felicissimo adminiculo, quod antegressa tempora ignorarunt. Olim enim (observante Pancirollo) *necessum erat, omnia calamo describi, quem in usum multæ institutæ erant tabernæ, in quibus nihilq; agebatur aliud, quam ut scriberetur; id quod multi labors & sumptuum erat.* Tantum *quippe* (inquit Polydorus Virgilius) *uno die ab uno homine imprimitur, quantum vix toto anno a pluribus scribi posset.* sive, ut Campanus *Aprutinus* apud *Aventinum*:

*Pancirol. Rer. Deperd. lib. 2. tit. 12.*

*Polyd. Virg. de rer. inventor. lib. 2. c. 7.*

*Aventin. Annal. lib. 7.*

*Hofman. lexic. Univers. p. 2. Pag. 507. Maffæus Hist. Indic. lib. 6.*

> *Imprimit ille* die, *quantum non*
> *scribitur* anno.

Cuinam vero inventæ *Typographiæ* hujus gloria adscribenda sit, an *Chinensibus*, ut voluit Maffæus, an *Johanni Guthembergio* Moguntino, an vero *Laurentio Costero*, anceps quæstio est, de quâ

> *Historici certant, & adhuc*
> *sub judice lis est,*

Neque

Opis

*Opis est nostræ, tantas componere lites.*

*Salmuth. in Pancir. lib. 2. cap. 12.*

Utcunque, omnibus probè expensis, dissimulare non possim, me, ob rationes non leves (quæ apud alios videndæ) in eorum propendere partes, qui Harlemensi *Laurentio* eam tribuerunt. Quicquid sit, dubio saltem caret, ex quo insigne hocce artificium, innotescere Europæis nostris cepit, scriptorum librorumque numerum in immensum fere excrevisse. Quamobrem si unquam, jam saltem jure dixeris cum Regum sapientissimo; *faciendi libros nullum finem esse.* Eccles. XII. 14. In quem locum Grotius. *Si hoc eâ ætate dixit* (Salomo) *quid nunc diceret, si nostras Bibliothecas inspiceret?* Quodsi enim illa tantum considerare velimus scripta, quibus soli nos *Christiani* gaudemus, jure certe Divi Johannis effatum iis applicuerimus; *Ne mundum quidem ipsum*

*Boxhorn. Hist. Belg, pag m. 175.*

*Hottinger. h. Eccles. part. IV. pag. m. 45.*

*Grot. in Eccl. XII. 14.*

*ipsum capere posse, qui scripti sunt, libros.* Joh. XXI. 25.

V. Quamobrem offendiculo hactenus haud paucis fuit, quod, præter numerosissimam hanc qualiumcunque scriptorum copiam, tot adhuc indies vulgari videant volumina. Nam, præterquam quod sub ingenti eorum mole plus satis ingemiscere mundum existiment, ipsâ experientiâ doceri se putant, juxta laudatum mox Salomonem, *lectionem multam carnis fatigationem tantum esse*, memoriam vehementer gravare, cogitationes distrahere, propriæ & accuratæ meditationis exercitium intervertere, legentium judicium scribentium cogitatis nimium affigere, quinimo non pauca sagacissima cæteroquin ingenia ita sæpe obruere, ut post infinitæ fere lectionis devoratum tædium, nihil aliud effecisse videantur, quam quod rerum lectarum naturam rationem-

*Eccles. XII. 14.*

*Montagno Essa is lib. 3, cap. 9.*

nemque intrinsecam haudquaquam intelligentia, dum domi suæ hospites sunt, aliorum tantum cerebello serviliter nimis inhabitent. Petrarcha: *Ingens* (inquit) *copia librorum, sed ingens simul laboris copia & quietis inopia. Huc illuc circumagendum ingenium his atque illis prægravanda memoria; quid vis dicam? libri quosdam ad scientiam, quosdam ad insaniam deduxere; dum plus hauriunt, quam digerunt, ut stomachis sic etiam ingeniis, nausea sæpius nocuit, quam fames.* Nec qui causentur desunt, *librorum* multiplicem usum ipsi etiam Reip. *noxium* sæpe esse; eo quod animos enervet, motusque bellicosos, pro aris focisque tutandis strenue, plus sufflaminet & extinguat. Spectabitque probul dubio huc pugnacissimæ quondam Gentis *Gothicæ* institutum, quo rogum flammis undique jam conceptis ardentem, cui ingentem præclarissimorum *li-*

*Petrarch. dialog. 45.*

*Camerar. Hor. subcisiv. part. 3. cap. 72.*

*librorum* numerum concremandum jamjam impoſitura erat, extinxit, eo ſe magis hoſtibus ſuis nocituram rata, quo plures iis *libros*, quibus, ceu ſuaviſſimo Sirenum cantu, ſopiti, armorum uſum dediſcere paulatim poſſent, relinqueret. Prout & ipſa *Amaloſuntha*, Theodorici *Gothorum* Regis filia, Regni ſui proceres hoc ſolum crimine videtur offendiſſe, *quod Athalaricum*, filium ſuum innutriri litteris procuraſſet: quoniam virum fortem & bellicoſum, *non inter litteras*, *ſed arma verſari fas eſſe*, arbitrabantur. Quam vero arduum fuerit, Reginæ iſti Regni ſucceſſorem bonis ſtudiis imbuendum non tradere, hinc colligere eſt, quod ipſamet litteris perpolita eſſet, adeo quidem, ut ſine veneratione videri, ſine ſtupore a circumſtantibus audiri haud potuerit, imò omnes omnium Gentium, quibus cum Romano Imperio commercium ali-

*Procop. de Reb. Gothic.*

*Joh. mag. lib.* 10.

aliquod erat, linguas probè pernoverit. Aliam præterea ob causam librorum copiæ infestus fuit *Antisthenes*; hic enim amicum, quendam deplorantem, quod commentarios suos perdidisset, hisce tantum solatus est verbis: *oportet ea animo potius, quam chartis inscripta fuisse*, subindicans nempe, in causâ *librorum* copiam haud raro fuisse, ac etiamnum esse, ut memoriam nostram, tantæ utilitatis pignus, neglectius habeamus, minus saltem, quam par est, applicemus & exerceamus. Etiam *Socrates* nequicquam totâ suâ vita scripsisse fertur, eo quod *librorum* turbam sapientiæ studiosis non prodesse, sed obesse existimaret. Juvenalis:

*Erasm. Apophtegm. lib. 7. pag. 607.*

*Hinc oblita modi millesima pagina surgit*
*Omnibus, & crescit multâ damnosa papyro.*

*Iuvenal. sat. 7.*

VI. Sed vero, licet quæ prætexi sic solent, negari vix omnia pos-

possint, haud censendum tamen, in multiplicis tum scriptionis tum lectionis *librorum* præjudicium rapi ea oportere: cum mere accidentaria sint, neque ex *librorum* plurimorum *usu*, sed solo eorum *abusu* consequi soleant. At vero

*Usus habet laudem, crimen abusus habet.*

Alioquin enim omnem divitiarum, honorum, scientiarumque abundantiam eodem condemnaveris pede, cum & hanc sæpe, possidentium *usu*, vel potius *abusu*, non levia post se incommoda trahere, in propatulo sit. Imo *ne quicquam* quidem (ut alicubi Seneca) *tam manifestæ utilitatis invenire est, quod non in contrarium transferre hominum malorum culpa possit.* Præterquam quod plurimum intersit; quomodo animati sint *tum* in scripta, *tum* in scriptores, quotquot de aliorum lucubrationibus judicium de-

promp-

prompturi ſunt. Appoſitè hanc in rem *Piccartus* apud Salmuthum; *Aboleantur* (inquit) *libri non pii, in Deum contumelioſi, & ſtuprandis liberalibus moribus apti; ſed vigeant, vivantque & grata mente volvantur* libri *boni, judiciumque de libris ferant, quibus oculus mentis nullâ ſuffuſione, id eſt, præjudicio eſt vitiatus, non malevoli aut affectionum mancipia.*

*Salmuth. ad Pancirill. pag. m. 68.*

VII. Ego in nullo quidem *ſcriptore* meram πολυγραφίαν eruditionis κριτήριον eſſe unquam cenci; eſſe enim nonnunquam quis poteſt, qui & doctum ſe jactet, & conatu publico oſtendere id præſumat ὁ μηδ᾽, ἔτι Αἴσωπον πεπατηκὼς, juxta Ariſtophanem, id eſt, *qui ne Æſopum quidem didicerit.* At in plerisque tamen haud illaudabilis diligentiæ induſtriæque, nec non animi in aliorum obſequium bonumque propendentis argumentum eam eſſe, vix eſt quod dubitem: inter-

tercedere quidem gloriolæ qualis qualis captatio aliquando potest, at quis iterum eam non tam scriptionis, nedum scriptorum sive librorum, quam *scribentium* personale vitium esse, non animadvertit? Præterquam quod haud usque adeò improbabile sit, quin non minus sæpe a quam plurimis *librorum* scriptio ex merâ gloriæ cupidine omittatur, quam eodem ex principio suscipi eam ab aliis animadvertimus. sunt procul dubio, qui hanc solam ob causam eâ abstinent, quod vix ullam sibi laudem accessuram inde prævideant, vel metuant forte, ne insignis eruditionis famæ, quâ inclarescere alias inter homines ceperant, lucubrationibus suis satisfacere rite non possint. *Theocritus* rogatus, cur libros non scriberet, respondit: *quoniam ut libet non possum; ut vero possum, non libet.* Subire legentium censuras detrectant multi, ipsi in aliorum

*Stob. serm. 19.*

cen-

censuram propensissimi, quam effugere se putant, dum foras non prodeunt, sed cochlearum instar intra testas suas latent. *Sic Aristarchus Grammaticus* nullos non reprehendebat, nihil ipse scribens: ne reprehendi ab aliis posset. Utcunque sit, evulgandis saltem libris, etiam pluribus, Patrum omnium judiciosissimus *Augustinus* infestus minime fuit; ut *tum* exemplo *tum* insigni hoc estato testatum fecit: *Utile est, plures libros a pluribus fieri, diverso stylo non diversâ fide, etiam de quæstionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa deveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Neque enim omnia, quæ ab omnibus conscribuntur in omnium manus veniunt. Et fieri potest, ut nonnulli, qui etiam hæc nostra intelligere vellent, eos non inveniant libros, in hos saltem incidant.* Augustino σύμψηφον & σύμφωνον audi *Petrum venerabilem*, cujus hæc verba: *feratur* (inquit) *in*

*Augustin. de Trinit. lib.* 1.

*Char-*

*Spizel. de Erudit. Vitus. pag. 389.*

*Chartulâ Verbi divini seminarium, quod maturis segetibus, hoc est, libris perfectis, multiplicatis frugigibus, esurientes lectores repleat, & sic panis cælestis lethalem animæ famem repellat, sic planè, sic verbi divini potes fieri taciturnus prædicator; & linguâ silente in multorum populorum auribus, manus tua clamosis vocibus personabit. Clausis tenebris in spelæo tuo & in codicibus tuis terras & maria peragrabis. In publicis Ecclesiæ conventibus lectoris ore verbum Dei de sublimi loco inclamabis, inque remotis claustrorum & domiciliorum angulis, illud idem servis Dei silentibus insusurrabis.* Et vin, scire, quid *liber* sit, quantumque bonum? En graphicam & honorificentissimam ejus descriptionem apud *Lucam de Penna*; quam utcunque prolixiorem, haud pigebit tamen huc transscribere. LIBER est (inquit) *lumen* cordis & *speculum* corporis, virtutum *repertorium*, vitiorum *confu-*

*Luc. de Pennâ in Rubr. C. de Navig. s. Naucler. publ. lib. 2.*

*fuſorium*, *corona* prudentum, *diadema* ſapientum, *honorificentia* doctorum, *clarificentia Rectorum*; *Comes* itineris, domeſticus *fidelis*, ſocius *colloquentis*, collega *præſidentis*, vas *plenum ſapientiæ*, via recta *Eloquentiæ*, *hortus plenus fructibus*, principium *intelligentiæ*, fundamentum *memoriæ*, hoſtis *oblivionis*, amicus *recordationis*. *Vocatus properat*, juſſuſque *feſtinat*, rogatus *reſpondens*, fideliter *obediens*; contra fortunas *luctator*, atque *verus tui ductor*, Hortus *concluſus* & fons *ſignatus*, puteus *aquæ vivæ*, *paradiſus*, abſque *ruinâ*, ædificans *tegnarum*, ſi reperit *ignarum*, nunquam patitur *faſtidium*, etſi graves eum *nimium*. Arcana *revelans*, obſcura *clarificans*. Quinimo vivaces præſtantium ingeniorum reliquiæ libri ſunt, quibus immortalitate donatur, quicquid publicæ rei alias proficuum, temporis lapſu interiret. Evaneſcit facile in auras,

ras,

ras quod ore proferimus, vel si maximè in audientium descendat memoriam, cum iis morientibus orbe tamen certò excedit. Quæ scribuntur vero in chartis membranisque ætatem diu ferunt, imo eâdem pene operâ haud magno temporis intervallo ad extremas usque insulas pervagari poterunt, modo justa subsidiorum copia non desit. Sic *Venusinus Vates*:

Horat.

*Exegi monumentum ære perennius,*
*Regalique situ Pyramidum altius;*
*Quod non imber edax, non Aquilo impotens*
*Possit diruere, aut innumerabilis*
*Annorum series, & fuga temporum.*
*Non omnis moriar, multaque pars mei*
*Vitabit libitinam.*

Et *Ovidius*.

*Jamque*

*Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignis,* Ovidius.
*Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas;*
*Cum volet illa dies, quæ nil nisi corporis hujus*
*Ius habet, incerti spatium mihi finiat ævi.*
*Parte tamen meliore mei super alta perennis*
*Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum.*
*Quaque patet domitis Romana potentia Terris*
*Ore legar populi, perque omnia sæcula famæ,*
*Siquid habent veri vatum præsagia, vivam.*

Nec non fabulator *Phædrus* ad *Particulonem* suum: *Phædr. fab. 86. ad Particulon.*

*Particulo nomen chartis victurum meis,*
*Latinis dum manebit pretium litteris.*

VIII. Proinde, modo curaretur tantum sollicitè, ne *mali*

ſcriberentur libri, vel boni haud *male* ſcriberentur, ſed in eorum elaboratione *Prudentiæ*, *Soliditatis*, *Perſpicuitatis* & *Brevitatis* juſta ſemper ratio haberetur, nulla forſan ſupereſſet cauſa, de nimiâ eorum copiâ multum quiritandi.

IX. Equidem *Prudentiæ* ante omnia hic litandum: in hoc præprimis ſitæ, quod temere nunquam nimiſque præpropere ad ſcribendum animum quis appellat, ſed diſcat ac imbibat prius bene, quæ docere alios inſtituit. *Ne cito* (verba ſunt Hieronymi) *ad ſcribendum proſilias, ſed multo tempore diſce, quod doceas.* Licet obſervarint alii, præſtantiſſimum illum Patrem, ad id, quod alios hic monet, vix ipſum ſemper curatè ſatis attendiſſe. Sic enim de eo Voſſius: *Quemadmodum & contra* Hieronymus, *feſtinantiſſimè in chartam conjiciens, quicquid ei nocte*

*Hieron. de Rat. vit. monaſt Ep. ad Ruſtic.*

*nocte unâ non semper zelus secundum conscientiam, sed etiam splendida dictaverat bilis, nunc quidem negat fieri &c.* Saltem in ignominiam, nemine contradicente, scriptori cedere, nunquam non debet, si cotis fungatur officio, cujus quippe aciem est communicare aliis, quam ipsa tamen non habet & cui bono ἄμυνια quis θοείζει, id est, simulac ager obduci cæperit herba, mox eum demetit, ut nempe tenuissimâ & intempestivâ illâ opellâ auxilio aliis esse quadantenus possit. Certe haud semel accidit, ut qui maxime ante hac scriptis inclaruerant, totam ferè eruditionis suæ famam dilapidarint turpiter,eo, quod cum antea res aliquas cedro dignissimas evulgassent, postea præcipitanter nimis & tumultuario chartis quędam illeverint, quæ ante editis haud quaque convenirent. Μέγας ὁ κίνδυνος, εὐθὺς ἐξεμέσας ὁ

*Voss. Thes. Theol. p. 169.*

*Plaut. mil. 2. 2.*

*Quintil. Inst. lib. 10. cap. 3. pag. 577.*

*Horat. Art. poetic.*

*Plat. Alcibiad. 1.*

*Bernard. in Cantic. Serm. 18.*

ἔπεψας. *Tanti periculi res est* (teste Epicteto apud Arianum) *statim evomere, quod non concoxeris.* Canis festinans cæcos parit catulos: quod in eos olim jactum, qui nimio festinandi studio rem parum absolutam in lucem emittebant. *Ut, siquis operis parum elimati præcipitaret editionem*, inquit Erasmus. *Cicero*, ὑπερσπουδίους hosce Bibliopæos μουσοπαταγίκτους vocitavit, quasi *musarum furore subito percitos* dixeris. Scilicet facilius multo est, *novum* brevi spatio *librum*, quam librum *novo lectore* dignum ad posteros transmittere. Hinc diuturni semper temporis sibi servierunt subsidio sapientiores ut commendabilius opera sua exponerent. Isocrates *denos*, vel ut aliis placet, *quindenos* annos scribendo uno Panegyrico insumpsit. *Catullus* de *Cynnæ* sui Smyrnâ, libello perexiguo, sic habet:

*Epict. Enchir. cap. 69.*

*Erasm. in Adag.*

*Cicer. ad Quint. fratr. lib. 2. Ep. 9.*

*Smyrna*

*Smyrna mei Cynnæ nonum post denique mensem,*
*Quam cœpta est*, nonamque *edita post hyemem.*

Catull. i carm. 96.

Virgilius *Bucolica* sua annis *septem*, suam *Æneida* non nisi *undecennio* elaboravit, & prius ipse rigidissimus sui censor & judex, scriptionem egregiam ad rogum damnavit. Quo etiam periisset, nisi *Augustus* eam conservatam *Tuccæ* & *Vario* corrigendam tradidisset; qui tamen nihil ei addere ausi sunt, solum, quod abundare videbatur, dementes. Jacobus Sannazarius, qui floruit sæculo præterito, tres libros de *partu Virgineo* publico donavit, sed non nisi *viginti* annorum lineâ perpolitos. Prout & excellentissimum Augustini de *Civitate Dei* opus per aliquot annos ipsum tenuit; & *Diodorum Siculum* historia sua per triginta annos. Ne quid de *Euripidis* aliorumque multorum in

Hottinger. Hist. Eccles. part. 1. pag. 240.

ſcribendo cura *&* *morâ* adjiciam. *Homerum* quondam Palaton (Ælianus legit Γαλάτων) *vomentem* depinxit: quod de fundendorum carminum celeritate quidam interpretati ſunt, licet alii ad inſtructiſſimam ejus venam referre id maluerunt, quæ quippe tam fluebat abundè, ut omnibus poſt ſe Poëtis copioſam verſificandi materiam ſuppeditarit. Ita *Ælianus* mox laudatus, *Galaton* (inquit) *Pictor Homerum pinxit* evomentem, *reliquos Poëtas ea, quæ ipſe evomuiſſet, haurientes.* Unde &

*Ælian. Var. lect. lib. 13. cap. 22.*

Ovidius:

*A quo, ceu fonte perenni*
*Vatum Pieriis ſonte rigantur aquis.*

*Ovid. Amor. lib. 3. El. 9.*

Et Manilius:

*Cujuſque ex ore profuſos*
*Omnis poſteritas latices in carmina duxit.*
*Amnemque in teneris auſa eſt dedu-*

*Manil. lib. 2.*

*deducere rivos,*
*Unius fœcunda bonis.*

Sic illi: Probri ſaltem loco adſcriptum quondam *M. Antonio* fuit, quod librum *de Ebrietate*, a ſe ſcriptum, *evomuiſſet*. Prout nunquam apud Antiquos ſcribendi hæc præcipitantia in laude poſita fuit. Concinnè *Zeuxis*, cum Agatarchus magnos ſibi de pingendi *celeritate* ſpiritus ſumeret, reſpondit: *Diu pingo, quia æternitati pingo.* Ita & æternitati ſcribitur, ſeriſque dicatur Nepotibus, quod publiei juris quis facit. Ergo *ſi ſapis* (monitum eſt Bernardi) concham te *exhibebis*, *non* canalem. *Hic ſiquidèm pæne ſimul & recipit & refundit. Illa vèrò donec impleatur, exſpectat, & ſic quod ſuperabundat ſine ſuo damno communicat. Verum* canales *multos hodie habemus in* Eccleſia, conchas *vero perpaucas. Tantæ charitatis ſunt, per quas nobis ſiuenta cæle-* Bernard. in Cantic. Serm. 18.

 *ſtia*

*ſtia emanant, ut ante effundere, quam infundi velint, loqui quam audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt.*

X. Neque minus ad *ſoliditatem* eſt attendendum. (Loquor de ſcriptis *ſeriis*, alia enim quandoque ratio eſſe poteſt eorum, quæ mentis magis recreationi quam emendationi deſtinata ſunt) hoc eſt, accurandum, ne diluta, frivola, dubia, veroſimilia, ſed ea, quæ vere vera, firma & omni exceptione majora ſint, victuris ſemper chartis demandemus, eaque documentis adeo ſtringentibus muniamus & confirmemus, ut lucernam olere manifeſtum fiat, & apta nata ſint, lectorum aſſenſum quam facillimè elicere. *Ea, quæ ſcribuntur, tria habere debent* (inquit Cardanus) *utilitatem præſentem, certum finem, & inexpugnabile fundamentum.* Incidi, quod non fateri non poſſum, non ſemel

*Cardan. de ſubtil. lib. 15. pag. m. 410.*

cum

cum indignatione in Authorum, alias nominatiſſimorum, nonnulla capita; in quibus revera illos nil niſi dictatores agere deprehendi, quaſi ex Tripode oracula pronunciantes, nihilque probantes, vel ſaltem rationibus adeo levibus & elumbibus ludentes, ut mille in me ſcrupulos de dictorum ſuorum veritate relinquerent, nulluſque exinde fructus ad me redundaret: ſunt, imo haud exiguo numero ſunt, qui μετὰ πολλῆς φαντασίας merces ſuas papyraceas exponunt, neſcio quæ non faſtuoſis *librorum* titulis promittentes, quaſi lactis gallinacei hauſtum propinaturi; ſed cum fides liberanda eſt, nil niſi *Acci Iliades*, id eſt, fumos vendunt: animalculis illis haud plane abſimiles, quæ dum veneris imaginatione ova concepere, nil tandem niſi ſubventanea pariunt. Græci ὑπηνέμια τίκτειν id vocant. Scitè

*Senec. Ep. 65.* de scriptoribus istiusmodi Seneca: *Quorundam* (inquit) *scripta clarum tantùm nomen habent, cætera exanguia sunt. Instituunt, disputant, cavillantur; non faciunt animum, quia non habent.* Exemplum habet *Erasmus* noster. „ Vix hæc scribens (*inquit*) à risu tempero, „ cum recordor Caliphanis cujusdam, quem olim cognovi, cum in familiâ charissimi Patris *Henrici Bergensis*, Episcopi *Cameracini* versarer, sed nomini parcetur propter convictum domesticum. Is permulta volumina concinnabat, exornabatque sed *chartis inanibus*, nisi quod in fronte videre erat *magnificos* quosdam *titulos*, velut *Carminum*, *Orationum*, *Epistolarum*. Singulis perscriptum erat hominis ter geminum nomen, ut, qui *titulos* forte legissent, crederent eruditum & in litteris multa magnaque molientem. Non dico, ubivis *soliditatem* hanc observari

*Erasm. Adag. Centur. 1. chil. 14.*

ex æquo posse; & contrà supra humanam infirmitatem esse id puto; at sollicitè tamen enitendum, summaque curâ cavendum, ne unquam adeo sibi suffenus scriptor quis sit, tantoque propriæ authoritatis & *ἀξιοπιστίας* suæ vento turgeat, quasi dicenti & dictanti tantum sibi ulla à lectoribus fides adhibenda necessario esset. Imò vero res fidei tractandæ si sint, omni potius ratiocinatione abstinendum videtur, quam talibus eas adstrui argumentis, quæ rem probandam peremptoriè non evincant. Castigavit hinc olim *Thomas*, neque immerito, omnes eos, qui rationibus naturalibus ipsam etiam Trinitatem confirmare aggrediebantur. *Qui autem* (dicit) *probare nititur* Trinitatem Personarum *naturali ratione, fidei* dupliciter *derogat.* Primo *quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei, quæ est, ut sit de* *Thom. part. 1. qu. 32. art. 1.*

*rebus invisibilibus, quæ rationem humanam excedunt.* Secundo *quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem: cum enim aliquis ad probandam fidem rationes inducit non cogentes, cedit in irrisionem infidelium, quod ejusmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus.* Tutissimè cordatus scriptor magnum *Vossium* ducem hic sequatur, cujus hoc laudabile consilium est. *Conducibile* (inquit) *est, priusquam labores suos quisquam divulget, ut non contentus secum singula serio expendere, etiam Pliniano more communicet duobus vel tribus viris doctis prudentibus & benivolis, eorum judicia exposcat; imo, ubi indagine majore opus, judicia etiam annotet, quo per otium accuratius singula expendat. Imo apud veteres & ille laudabilissimus mos, coram frequenti sua auditorio legere, & ex singulorum vultibus tum laudes tum culpas observare.* Ita enim

*Voss. de cognit. sui. pag. 31.*

enim *plurium* quaſi opus ſit liber, qui alias *unius* tantum eſſet. Juxta vero *Homerum*

*Πλεόνων δὲ τοι ἔργον ἄμεινον.*

*Melior multorum eſt labor.*

Quin prudenter etiam egerit vir eruditus, ſi opus jam concinnatum ſeponat ad tempus, poſtmodumque ad illud, refrigerato inventionis ardore, tanquam ad alienum redeat, ut lector nempe non ut author; quoniam ex eâ retardatione judicium haud parum expoliri & limari poteſt, omniaque, quæ ſcribuntur ſolidioribus inædificari firmamentis. Evenit enim alias, ſiquidem juſto, quæ occurrunt, talo non ſtent, ut a *librorum*, avidam ſciendi diſcendique ſpecioſo ſuo fuco famem pellicientium, inani lectione, ad quam famelici veneramus, adeo recedamus jejuni; quaſi ne unquam quidem eos vidiſſemus vel legiſſemus. *Lambendus* probè eſt *fœtus*, antequam in

*Quintil. inſt. Orator. lib. 10. cap. 4. pag. m. 584.*

in hominum procedat adſpectum, quod (ut notum) in proverbium abiit, à talibus deſumptum animalibus, quæ pullos jam excluſos linguâ ſuâ tam diu lingunt relinguntque, donec omnibus abſterſis ſordibus, publico eos exponant. Adſcripſit id nuper *Johanni Henrico Urſino* Clariſſ. *Dilherus* hoc carmine:

*Urſin. præf. ad Theol. Symbolic.*

*Sic* Urſine *tuum lambis*, Doctiſſime, *fœtum*;
*In lucem ut nullâ labe notatus eat.*

XI. Adhæc *Perſpicuitatis* ratio habenda: ita ut ſcripturæ mens vel ipſi cæco poſſit apparere, ſpeculumque animi ipſius ſit *liber*, quem publicum facit. Obvia eſſe oportet, præſertim eruditioni & ædificationi dicata ſi ſunt, quæ promimus, non iis tantum, qui ſcholis formati, Bibliothecis exercitati, Academiis porticibuſque partam ſapientiam ructant, ſed & illis, qui

*Tertullian.*

ſim-

ſimplices idiotæ, imo de compito, de trivio & textrinâ toti ſunt. Sunt, qui Ariſtotelem *obſcuritatem* affectaſſe prætendunt, ſed neſcio, an vere, & quem in finem. In diſciplinarum proœmiis quandoque quidem involutius loquitur, ſed quod de induſtriâ id fecerit, ut ingenuorum animos excitaret fortius, vecordes vero & ignavos a pulchrarum rerum contemplatione deterreret, ut obtendi nonnunquam video, quis dixerit? quis juſtis unquam rationibus demonſtraverit? Potiori jure *Platoni* id tribueris, de quo *Euſebius*, interprete Vigero; *Quocirca rem totam ita involvit & convolvit ipſe* (Plato) *ut nec uſitato more nec perſpicuo loqueretur, ac digeſtis, pro arbitrio ſingulis ea* obſcuritate *adſperſâ, ut partim intelligerentur partim* ignota *manerent.* Licet ego imaginari mihi vix poſſim, vel ullum unquam

*Euſeb. de Præpar. Euangel. lib.* 14. *cap.* 5. *pag.* 728.

quam ſapientiorum fuiſſe, qui è tenebris gloriolam aucupari ſibi præſumpſerit, niſi ſtolidâ ſibi hacce exſpectatione forſan abblandiens, quod obſcurior eſſe dum ſategit, imperitioribus ſimul doctior ſubtiliorque eſſe videretur. Juxta enim Lucretium

*Lucret. lib. 1.*

*Clarus ob obſcuram linguam, magis inter inanes:*
*Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amantque*
*Inverſis quæ ſub verbis latitantia cernunt.*

Atque & hinc (inquam) fortean eſt, quod inveniantur ſubinde, qui adeo in conceptibus ſuis confuſi & in ſcribendi ratione portentuoſi ac abſtruſi ſunt, ut multo plus temporis & induſtriæ verborum eorum ſesquipedalium, ſtylique cothurnati, quo utuntur, quam rerum, quas tractant, intellectui & perceptioni videatur impendendum. Excuſo libens,

qui

qui naturali *perspicuitatis* dono carent, tametsi tales *tum* sibi ipsis *tum* publico forsan melius consuluerint, si, nisi gravissimis rationibus pressi, *scribendis libris* abstineant potius, quam temere eò prorumpant. His equidem, juxta illud *Ausonii*, *Auson.*

*Utilius dormire fuit, quam perdere somnum,*
*Atque oleum.*

Sed vere, qui datâ operâ & consulto; non quod præstare sic putent, sed ut sibi ipsis unicè placeant, ἀινιγματικῶς & involutè scribunt, sive *vel* ex imperitiâ *vel* ex superstitiosâ exoticarum vocum affectatione, stylum suum implicant, adeo ut vate magis opus habeant, quam *lectore*, quid scriptione suâ intendant, divinare non possum, nisi hoc unum forte, quod mundum libello qualicunque gravare insuper gestiant, neque scribentibus sibi neque ullis forsan legentibus

tibus unquam profuturo. Scriptor hujusmodi fuit *Heraclitus* (Platone & Aristotele testibus) cui & nomen inde inditum σκοτεινῶ quia ad libros ejus intelligendos, *Delio* quodam *natatore* opus fuisse *Socrates* pronunciavit. Unde & dictum vulgo τὰ Ἡρακλείτου διαστίξαι ἔργον. *Heracliti scripta interstinguere arduum est.* Simili modo *in Sextum* propter *obscuritatem* jocatus est *Martialis.*

*Laert. in Heraclit.*

> *Non* lectore *tuis opus est, sed* Apolline *libris,*
> *Iudice te major Cinna Marone fuit.*

Heracliti vero hanc *obscuritatem* non naturalem sed mere affectatam fuisse, hinc non tantum patet, quod (*Laertio* teste) modo liberet, oratione etiam luculentâ & clarâ uti potuerit, sed & ipsis suis discipulis κρύψιν ex professo inculcaverit. Inter præcepta enim, tradi iis solita, & hoc

*Aristot. Rhetoric. lib. 3. cap. 5.*

hoc fuit Σκότινον, *obscura*. Consimiles Heraclito fuêre *Epicurus* & *Carneades Cyrenæus*, novæ Academiæ Principes, quorum hic adeo à Clytomacho *obscurus* dictus fuit, ut nunquam percipere se potuisse asserat, quænam scriptorum ejus mens sensusve fuerit, *ille*, quid voluerit datâ operâ ita involvit, ut assequi etiam *œdipis* impossibile fuerit: Tam procul abest, quod omnem respuisset *Rhetoricem*, universamque sermonis sui laudem in solâ *perspicuitate* collocasset, ut pridem opinati quidam sunt. Quin e contra ipsis *Pyrrhoniis* miranda suâ caligine gratissimam sæpe operam præstitit: applaudentibus nempe sibi, quod scribendi ratione adeo perplexâ, intricatâ, incerta, Hypothesi suæ de omnium rerum incertitudine tam amicè subserviisset. Stultè, sane & infructuose! Quotquot enim sic procedunt, non tam aliis quam

*Hofman. lexic. univers. p. I. pag. 602.*

quam sibi ipsis scribunt, denique non nisi Bœotica fundunt ænigmata, hoc unum tantum lucrari prælorum suis ludibriis & quisquiliis dicendi sunt, quod moriantur ante se scripta sua, id est, brevissimo sæpe tempore in contemptum eant & vilescant; deferri tandem digna

*In vicum vendentem thus & odores,*
*Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.*

*Favorinus Philosophus* adolescentem quendam, priscè admodum & perobscurè loquentem hisce olim verbis affatus est: *Curius* (inquit) *& Fabricius & Cornucanius, antiquissimi Viri nostri, & his antiquiores Horatii illi tergemini*, plane ac dilucide *cum suis fabulati sunt, neque Auruncorum & Sicanorum aut Pelasgorum, qui primi incoluisse Italiam dicuntur, sed ætatis suæ verbis locuti sunt. Tu autem, perinde quasi cum Matre*

*Agell. lib. 1. cap. 10.*

*tre Euandri nunc loquare, sermone jam a multis annis* desito *uteris, quod scire atque intelligere neminem vis, quæ dicas. Nonne,* homo inepte, *ut quodvis abunde consequaris taceres? sed antiquitatem tibi placere ais, quod honesta, & bona, & sobria & modesta sit. Vive ergo moribus* præteritis, *loquere* verbis præsentibus. *Atque id, quod a C. Cæsare excellentis ingenii ac prudentiæ viro in primo de Analogiâ libro scriptum est, habe semper in memoriâ atque in pectore, ut tanquam scopulum hic fugias* inauditum *ac* insolens *verbum.* Egregie! Nam in Cimmeriis certè tenebris cespitant, qui *clarè* loqui & *diserte* loqui ἀσύστατα hic faciunt. Quis enim in dicendo scribendoque *disertior* unquam *Cicerone*, Oratorum omnium coryphæo, at quis tamen eodem *Cicerone* clarior unquam & explanatior? Me quod attinet, ego quæ vilissima in

in commentationibus ejus forsan quis habeat, multo semper majori cum voluptate legi & perlegi, quam nobilissima quæque & præstantissima, quæ in tenebrosissimis *Apulei* Metamorphoseon & de Asino *Aureo* libris delitescere, plurimi hactenus judicarunt. In Asino enim (inquit Vivis) plane rudit, in aliis sonat hominem, nisi *quod Florida sint ridicula, sed excusat ea Inscriptio.* Turnebus: *Apulæus non malus Autor*, & antiquarum *vocum usurpator*; adeoque & obscurarum. Et Hosmannus: *Rudere verius quam loqui in* Asino Aureo *Apulejus viris Eruditis videtur.*

*L. Viv. de Trad. Discip. lib. 3. Turneb. Adv. 28. 14. Hosman. lex. univ. p. 1. pag. 152. 6.*

XII. Neque eo tamen usque *perspicuitati* huic inhærendum, ut justa ea propter *brevitas* vel in tantum vel in totum negligi videatur: Quam enim inutilem librum reddit *obscuritas*, tam tædiosum eum facit extensio nimis pro-

producta. Generalis Græcorum γνώμη est,

Χάρις βαιοῖσιν ὀπηδεῖ.

*Adjuncta est parvis gratia rebus.*

At in specie etiam *libros* epistolasque commendatiores *brevitas* reddit, præsertim apud occupatos & fastidiosos homines. Μέγα βιβλίον μέγα κακόν. *Magnus liber magnum malum*, quod queri lectores facit *lumbos suos*, sedendo, *oculos* spectando *dolere*. Indubium est, non in corporis quantitate sed in virtutis intentione rerum fere omnium perfectionem & laudem consistere. Neque unquam magnum marmor parvo adamanti, sive magna argillæ moles aureo obolo prælata est; sive, ut *Zeno* apud *Laertium*, οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα κεῖται: moneta optima, quæ in exili mole plurimum pretii habet. De *Pythagorâ* referunt, quod *silentium*

*Callimach. apud Athen. lib. 3. cap. 1.*

*Laert. in Zenon.*

*tium* ſuis non tantum præcepe-rit, ſed & omni plane ſcriptio-ne iis interdixerit, alii id ἀκȣ-ςικȣ̀ς tantum reſpexiſſe arbitrati ſunt, μαθηματικοὺς autem & verba facere, & quærere, quæque audiviſſent ſcribere, & quæ ipſi ſentirent, exponere, po-teſtatem habuiſſe. Utcunque ſit, certum ſaltem eſt, nulli non *pro-lixitati* Philoſophum illum in-fenſum fuiſſe. Nimiæ enim ſcri-ptioni ut metam poneret, edicto veluti ordinavit, ut rationibus cubicis præcepta in voluminibus ſcriberentur, conſtituitque cu-bum 216 verſuum, eoſque non plures quam tres in unicâ ſcrip-tione eſſe oportere exiſtimavit. Quæ lex licet, propter diſcipu-lorum ſuorum ſcribendi pruri-tum, non uſque adeo diuturna fuerit, demonſtravit eâ ſaltem præceptor, quantopere *libri* magnâ mole turgidi genio ſuo diſplicuerint. Et quiſnam ſpiſ-
ſis

ſis librorum voluminibus id fere agi non animadvertit, ut inſigni pompâ *expoſita gregariis tantum libris terribilia & formidabilia appareant, atque omnium oculos vultuſque ad ſe trahant*, ut feſtive olim improperabat *Sfortiæ Palavicino* Cæſar Aquilinius, ob vaſtiſſimam *Concilii Tridentini* hiſtoriam multo ſtrepitu à *Sfortiâ* editam. Ad rem Cyprianus: *Etiam legentibus* (inquit) *brevitas hujuſmodi plurimum prodeſt, dum non intellectum legentis & ſeipſum liber longior ſpargit, ſed ſubtiliori compendio, id quod legitur, tenax memoria cuſtodit.*

*Aquilin. de Tribus Hiſtor. Concilii Trid. pag. 13.*

*Cyprian. in Præf. adv. Iudæos.*

XIII. Poterit autem hâc fere viâ *ad Brevitatem* hanc procedi 1. ſiquidem iſti præcipuæ materiæ inſiſtant *ſcriptores*, quam tractandam ſibi eligêre, rejectis omnibus, quæ ad rhombum non faciunt. Secus ac fieri a nonnullis videas, quidlibet

*Hoornb. Theolog. Pr. part. 1. in Prolegom. pag. 26. 27.*

ex quolibet passim educentibus, unique argumento nescio quas non alias materias intertexentibus, in iisque elaborandis tam late seipsos diffundentibus, ac in ipso principali argumenti. Quod certè si fiat, impossibile est, in nauseosam prolixitatem non incurrere. E. G. Acturus quispiam *de Verâ Dei Cognitione* primum ejus describit *naturam*, tum *motiva* & *signa* ejus indicat, tandem & *media*, quibus in sedulo ejus studio juvari anima possit, allegat; neque hactenus male. Sed si addere tum porro velit *signorum signa*, *mediorum media*, *motivorum motiva* &c. quis non videt, ipsum ἐκτὸς χοροῦ tum ὀρχεῖσθαι, hoc est, *extra* chorum saltare? *Melius fecere quidam* (ut alicubi Varro) *qui minori pomœrio finierunt*, *exclusis partibus, quæ ad rem hanc non pertinent*. Vapulat ob hanc causam singulariter etiam censori

*Varro de Re Rustic.*

suo

ſuo nominatus mox *Palavicinus*, ſic enim *Aquilinius* ſive quisquis ſit ſub ejus nomine: *Cæterum non adeo magna ſunt duo illa* volumina, *quia multa referunt adverſus* Petrum Soave *ejuſque Hiſtoriam pro* concilio Tridentino, *ſed quia horum voluminum Author innumera adjunxit, quæ neque ad cauſam concilii ſpectant, neque* pro *Adverſarii impietatibus & hæreſibus redarguendis faciunt, fortaſſe etiam pro confirmandis. Quid enim pro* Concilio Tridentino *faciunt prolixæ narrationes ſub Hiſtoriæ initio de Actis Piſani Conciliabuli? Quid cenſuræ ad Pontificum vitas? Quid Pontificum actiones? Quid innumeri eventus inter Principes, inter ſe belligerantes? Quid conclavium acta? Quid Carraforum clades? & reliqua ſimilia & diſſimilia, quæ nec lingua amplecti recenſendo, nec mens cogitando aſſequi unquam poteſt. Certe ſi ex illis duobus maximis voluminibus*

*Aquilin. Tricit. pag.* 9.

*nibus excerpenda essent, quæ pro* concilio Tridentino *faciunt, satis minima & multo minora essent quæ in Henrici libello inveniuntur.* Fuit hic *Henricus* aliter *Seigio Henricus* is, qui primus omnium *Petri Soavis* Historiam censura notavit, sed opusculo perquam brevi & restricto. 2. Si res nullas tractare ex professo instituant, quam de quibus alii, quantum rescisci saltem potest, vel nihil, vel parum, vel haud satis saltem politè & profundè commentati hactenus sunt. Optimè laudatus modo Vossius: *Cogitet etiam* (scriptor) *an argumentum quod suscipit, melius tractarit, quam priores; hoc est, an priorum inventis pulchra quædam superaddat de ingenio suo, vel an cohibilius succinctiusque & majore cum genio exprimat, & verbo ut dicam, an postquam tantum est librorum in orbe, ut iis legendis nec plurimorum ætas sufficiat, nihilominus interfuerit*

*Voss. Tract. cit.*

*fuerit orbis literati, isthoc etiam scriptum in publicum prodire?* Eâdem passim chordâ oberratur nimis, reponentibus identidem scriptoribus, quæ centies vel millies forsan oblata ab aliis sunt. *Scribimus indocti doctique* (inquit Hoornbekius) *& nihil mundo accedit, nisi onerosa congeries libellorum, soli studiorum & temporis & nummorum, impendio, usui vero nulli: Legere illos & idem argumentum sub variis titulis & diversis Autoribus identidem resorbere, plus quam bis coctum, fastidio, ut quod maxime, plenum est.* Quo & invidiosum *librorum* Plagium ut *Marti*[illegible] referas, quod jam licitum, quin nonnullis laudabile esse incipit, quia publicum est factum. Perpaucis quippe cum *Manilio* gloriari hodie datum est,

*Hoornb. Vet. & Nov. lib. 1. cap. 26.*

*Nostra loquar: nulli vatum debebimus orsa;*
*Nec* furtum, *sed opus veniet.*

*Manil. Astronom. lib. 2.*

Est vero nihil *aliud id Plagium* quam furtum eruditorum sive eruditis proprium, vel mendacium potius justitiæ commutativæ oppositum, quo quis debitam alteri opinionem eruditionis, cogitata ejus peculiaria quomodocunque ad se delata, malignè proferendo pro suis, mentionemque alterius, ubi fieri ea oportebat, intermittendo, quærit: Criminis hujus reos *informes corniculas, quæ alienis plumis se ornant,* Hieronymus vocitavit. Prout & *Philippum Labbæum* Hottingerus, alii alias *Corniculas Æsopicas* dixerunt. Venuste de-us [illegible] *Mamertus*, Episcopus olim Viennensis. *Istum* (inquit) *illi laudari, ne infra laudatum videantur stare ingenium, panniculos quosdam ex diversorum varia lectione concerpunt, eos denique vilibus suis, veluti quibusdam stupeis adsuunt, laceroque vestitu turpiores nudis, absque furaci me-*

*Bibl. PP. Tom. V. pag. m. 708. Hottinger. [illegible] Dissert. Disp. 8.*

*meditatione metus eloquentiæ palliati incedunt.* Nec non gravissimè ad *Joachimum Ernestum*, Principem Anhaltinum, Mauritius Hellingus: *Resque ostendit* (ait) *quosdam ignobiles famæ captatores ipsis autoribus partes & laudes præripere, & sine ullo judicio & rerum delectu spargere aliorum labores, suppresso Autorum nomine, atque ita in alienâ messe falce sua frumenta demetere. Usitatum enim admodum nunc est, aliorum suffurari labores, & velle crescere aliorum vigiliis & commentationibus, quæ si singulis, quorum nomina tam studiosè dissimulantur, restituendæ essent, non pauci veluti corniculæ Æsopicæ, nudi & deplumati viderentur, in suis scriptis pauca habituri, quorum sibi justam possessionem justo titulo adscriberent.* Neque pauci inter scriptores sunt, qui artificio rem hanc agunt, alienas sententias *paucis immutatis* vocibus,

Helling. *Epist.* Dedic. *præf.* 1. *part.* *Argument.* *& object.* Melancht.

pro suis usurpantes; quos *Severius Cassius* iis olim furibus, *qui poculis alienis ansas mutant, ne agnosci possint*, comparavit: Nempe, ut *furum* effugiant nomen, *homicidæ* fiunt, rebus furtivis, ipsam animam expectorantes. Quin cautiuscule adhuc alii quidam procedunt, *latrociniis* furta sua obtegentes: metuentes enim, ne horum aliquando peragantur rei, superstitibus, quibus convinci possent, documentis, bonos Autores in cineres, si possunt, redigunt, ne vel ex eorum cinere, ultor suo tempore exurgat. Consuluit id ipsum simile saltem quicquam, Expilatori suo *Martialis*, dum dixit:

Martial. 1. Epig. 67.

*Secreta quære carmina & rudes curas,*
*Quas novit unus, scrinioque signatas*
*Custodit ipse virginis Pater chartæ,*

*Quæ trita duro non inhorruit*
*mento.*
*Mutare dominum non potest li-*
*ber notus,*
*Sed pumicata fronte quis est*
*nondum,*
*Nec umbilicis cultus, atque*
*membranâ,*
*Mercare tales adeo, nec sciet*
*quisquam.*

Haud difficile esset, variorum inter Gentes exemplis adstruere quæ asserui, sed scripti ratio id non fert. Numerosum satis eorum catalogum texuit *Thomasius*, Tractatu Peculiari *de Plagio litterario*, qui videndus. Instar omnium hæc pauca tantum habe: De *Aristotele*, magno Philosophorum Parente, exerte quidam asseruerunt. *Veterum eum dicta tantum compilasse, maligne explicuisse, atque ita ingenii laudem furto & calumniâ sibi comparasse.* Homero culpam hanc impegit *Naucrates*, eo, quod,

*Agripp. de vanit. scient. cap. 54.*

cum in Templo Vulcani Memphidico libros *Phantasiæ* fæminæ, quæ *Iliadem* & *Odysseam* conscripserat, easque in Templo illo reposuerat, reperisset, eos, ut suos edidisset. His junge *Hieroclem* & *Theopompum* apud *Eusebium*: de quo *priore sic, quod scripta ejus ex aliorum sententiis non modo, verum dictionibus quoque ipsis ac pene syllabis impudenter subducta* fuerint. De *posteriore*; Νῦν δὲ τὴν κλοπὴν δήλην πεποίηκεν ἡ τοῦ ὀνόματος μετάθεσις: τοῖς μὲν γὰρ πράγμασι, κέχρηται τοῖς αὐτοῖς, ἕτερον δ᾽ ὄνομα μετενένοχε. Φερεκύδην γὰρ τὸν Σύρον πεποίηκε ταῦτα προλέγοντα. οὐ μόνον δὲ τάυτῳ τῷ ὀνόματι ἀποκρύπτει τὴν κλοπὴν, ἀλλὰ καὶ τόπων μεταθέσει. id est, *Nunc vero furtum ipse suum nominis mutatione patefecit. Rem enim eandem scribens, nomen supposuit alienum. Id videlicet a Pherecyde quodam Syro prædictum*

*fuisse*

*fuisse tradit. Imo non hujus tantum nominis integumento, verum etiam locorum mutatione suum ipse* Plagium *conatur occultare.* Genuina certe *laverna*, cui merito *Ausonianum* hoc occinas.

*Hic est ille Theon, Poëta falsus,* *Auson. Ep. 5.*
*Bonorum mala carminum* laverna.

Legunt alii *laberna*. Vox Deam propriè notat, cui supplicant fures, qui & *laverniones* inde dicti. Ita Festus: *Fures* laverniones *Antiqui dicebant, quod sub tutelâ Deæ* lavernæ *essent, in cujus luco obscuro abditoque soliti furta prædamque inter se luere,* id est, *partiri* seu *dividere.* Hinc πραξιδίκη dicta *Hesychio*, eo quod δίκην det, id est, *jus* τῆς πράξεως sive astutæ & callidæ actionis; nam & hanc πρᾶξις aliquando significat. Unde Germanis & Belgis *Practijck*, Gallis *prattique*, non tantum foren-

sis usus est, sed & dolum seu technam significat. Petuntque technas & artes fures a *laverna* hac Deâ. *Horatius.*

Horat.

*Pulchra* laverna!
*Da mihi fallere, da justum*
*sanctumque videri,*
*Noctem peccatis & fraudibus*
*objice nubem.*

Et quas non hic artes adhibuit *Theopompus.* Cumque pluribus ex *Clemente, Porphyrio,* aliisque, *furti* hocce genus usurpatissimum veteribus, imprimis *Græcis,* fuisse demonstrasset *Eusebius,* sic tandem concludit: Τὰς γοήντων μέλας ὁ καθεῖς αὐτῶν λέξει ὁμȣ̃ καὶ διανοίας, καὶ ὅλας λόγων συντάξεις ἀποκλέψας, ὡς ἐπ' οἰκείοις πόνοις ἐσεμνένατο. *Imo quemlibet passim videas vicinorum suorum verba simul atque sententias operaque nonnunquam integra suffuratum, non secus iis, ac propriis laboribus gloriari.* At quid Antiquos genti-

*Idem de Præpar. Euangel. lib.* 10. *cap.* 3. *p.* 461. 461.

tilesque moror? Utinam ne in ipsis quidem probatissimorum inter Christianos scriptorum *libris* integra quandoque capita verbotim, imo iisdem plane syllabis ex aliis descripta, ipsemet offendissem! ne in genere quidem nominatis aut laudatis illis Authoribus, per quos profecisse se confiteri debuissent. Ingenue quod dico confessus pridem *Raynaudus* hisce verbis: *Inter sacros interpretes* (inquit) *nihil hodie frequentius, quam ut unus alium expilet. Inde tot recantationes, tot, sub variis titulis, & nonnihil varia dispositione, plane iidem libri. Quæ prior quispiam in Genesin dixerat, alius prope verbotim carpta, ne nominato quidem Autore, transfert in suos Psalmorum vel Epistolarum commentarios.* Exagitatur hoc nomine singulariter a Vossio *Luduvicus Cælius Rhodiginus*, vir cæteroquin eximiæ eruditionis.

*Raynaud. Erotem. n. 274.*

Nem-

Vossius de Idololat. lib 3. cap. 84. Scalig. Ep. 24. Morin. de Græc. Hebr. syn ceritic. lib. 1. cap. 2.

*Nempe hoc actum* (infit) Rhodigino *passim, ut dissimulatis scriptoribus, unde sua hausisset, non alius, quam ipse testis laudaretur.* Et alibi. *Et hic mos etiam, fontes unde quidque hauserint, dissimulandi, summis aliquot viris seculo nostro est perquam familiaris.* De *Petro Galatino* Johannes Morinus: *Quæcunque habet* Galatinus *toto libro suo a* Porcheto Carthusiano *desumpsit, nec* Porcheti *vel de nomine mentionem fecit.* Plagium *sane portentosum, cui vix simile unquam factum est; nam* Galatini *liber nihil aliud est, quam* Porcheti *descriptio, ipsissimet* Porcheti *verbis, atque etiam textuum Hebræorum translationibus conservatis.* Et postea: *verba Galatini legisti,* lector, *cum* Porcheti *retulimus.* Dicam criminis hujus *Leonardo Aretino* etiam scripsit *Christophorus Persona*, eo quod *Procopii* Historiam Gothicam, presso Autoris

ris nomine, in lucem emisisset. Imo ne magno quidem *Scaligero* pepercit *Vossius*, dum sic de eo: *Author hujus locuples est* (egerat de leporibus) *Johan. Leo Africa sua lib 9 cap. de* Camelo, *& ex eo*, sed præterito, *ut solet*, ejus nomine, *Cæsar Scaliger, Exerc.* 209. Et notantius alibi: *Eandem rem narrat* Cæsar Scaliger, *Exerc.* 209. *Ubi & alia de Camelo miranda legas*, *sed* (NB) ex uno hoc Leone exscripta, nomine Autoris præterito, *quod summo viro solemne esse*, *superius etiam querebamur*. Quin omnium odiosissime in ipso indice, ubi exertim: *Johannem Leonem* exscribi *a Cæsare Scaligero solere*, *sed non nominari*. Pungitur eandem etiam ob causam a Clariss. D. Hoornbekio *Joh. Gerardi. Et sic* (inquit) *Cocus noster pag.* 156. *& qui* hunc gnaviter semper describit, *Johannes Gerardi* pag. 156. ut neque absolvi crimine

*Voss. Tract. cit. lib. 3. cap. 58. 59.*

*Hoornb. Vet. & Nov. part. 1. pag. 129.*

hoc

hoc planè poteſt inter noſtros, Theologus alioqui & Philoſophus, dum viveret, apud Friſios ſubtiliſſimus, *Iohannes Maccovius*. Quodſi enim inſpicere non dedigneris Exercitationes ejus Remonſtrantium hypotheſibus olim oppoſitas, docebunt te oculi tui, inſignem earum partem non tantum quoad materiam, ſed quoad ipſa etiam verba, e belgico latine verſa, ex *Molinæi* Anatome *Arminianiſmi*, compilatam eſſe: quod in viro extemporanei acuminis honore alias celebratiſſimo, miratus ſemper fui: Parco aliorum nominibus, ne videar honorificæ eorum exiſtimationi detrahere quicquam velle; licet haud deſint inter illos, qui ſatis alias mordaciter illos exagitarant autores, qui ingenuè nominare omnes eos in more habeant, a quibus ſeſe commodato accepiſſe agnoſcebant. Dignius itaque multo

multo scriptore cordato est, quod de seipso testatur *Gryphiander*, qui sic: *semper id egi, ut fideliter allegando Autores*, furti litterarii *maculam effugerem*. Cujus *multi non ex modernis saltem, sed ex Antiquioribus scriptoribus rei aguntur: qui opes & Glossas, quas fecerunt DD. Antiqui mortui jam multis temporibus, viventes sibi appropriant, ut consequantur laudem & gloriam scholarum*. Quibus gemina hæc *Iohannis Coenradi Dieterici & Iacobi Geusii* sunt, utriusque Doctissimi & Diligentissimi Viri: quorum hic inquit: *Cramben recoctam nolunt neque alii neque ego. Abhorrebo & semper abhorrebo, imo piaculum dico, labores & a maximis viris multo sudore exantlatos, pro meis venditare, cum in aliorum scriptis compilandis* ἀνδραποδιστὴς & fur *audire nolui. Et quod ab aliis libatum aut tractatum est, tanquam recens inventum*

*Dieter. in Præfat. ad Antiqq. Bib.*

tum.

*tum obtendere, a furto parum differt, & doctis bilem movet & fastidium parit. Ille: satius duxi, profiteri quemque, quam ullum laude suâ fraudare, quam merentur, qui εἰς πάντα μαθήματα facem prætulerunt.* Imo vero a Plagii hujus *litterarii* crimine adeo sibi alienum præbuit Doctissimus Theologus *Henricus Altingius*, ut vel levissimam tantum suspicionem ejus subire sollicitissimè caverit. En ipsissima ejus verba: *Hunc* (inquit) *Quintilianum propria suâ manu descriptum ante annos. 20. scil.* Christi 1620. *in* Collegio *sapientiæ manu mea excepi, atque etiam ex communi incendio* (Bibliothecæ scil. Heidelbergensis) *eripuissem, nisi veritus fuissem, si in supellectili mea reperiretur liber antiquus, etiam mea omnia pessum irent, & ego ita apud postetos inter* Plagiarios *recenserer.* &c. Mitto *Terentium Comicum*, qui

*Geuf. de Vict. m human. part. 2. pag. 171.*

*Alting. Histor. Palatin. m. 5. pag. 6.*

*Hottinger. Histor. Ecl. part. IV. 43.*

qui non tantum Græcorum instituta moresque percipiendi, sed & vitandæ opinionis causa, quia videbatur *aliena pro suis* edidisse, Urbem Romam egressus est, nec unquam postea ad illam rediit. Tempore quippe poëtæ illius non obscura erat fama, adjutum illum, juxta *nonnullos* in scriptis suis fuisse *a Lælio* & *Scipione*, quibuscum familiariter vixerat: juxta *alios*, quoniam duo illi adolescentuli tum demum erant, a C. *Sulpitio Gallo*, homine docto, vel Qu. *Fabio Labeone* & *M. Popilio*, consulari utroque ac Poëta. Quicquid sit, ipse saltem *Terentius* famam illam haud minuit non tantum, sed adauxit e contra, eo quod nunquam nisi leviter & frigidè duntaxat se tutatus contra eam sit. Ipsum eum audi in *Adelphorum* Prologo:

*Donat. in Vit. Terent.*

*Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles*

M*ontagne* Essais *livr* 1 *chap.* 39.

Hunc

*Hunc adjutare, assidueque una*
*scribere:*
*Quod illi maledictum vehemens*
*existimant,*
*Eam laudem hic ducit maxi-*
*mam, cum illis placet,*
*Qui vobis universis & populo*
*placent.*

Ita nempe negligebat *tum plagii* illam suspicionem, ut mox dictum; quæ tamen postea adeo ipsum ussit, ut Patriâ extorris fieri maluerit, quam qualitercunque eâ gravatus, inter familiares suos amplius morari. Haud inficiandum quidem perquam arduum esse, post tot eruditis-
*Ecclef.* 1. 9. 10. simorum hominum docta pignora, inauditi quicquam in scenam producere, cum

*Nil fingere factu*
*Barth. Zodiac. Christ. p* 224. *Aut dictu valeas mirum invi-*
*sumque.*

Atque exinde necessitatem subinde scriptoribus imponi, etiam maxime ingenuis, aliorum non-

nunquam cogitata, ut sua adoptandi; quare & absolutè improbandum id esse, nunquam ratus sum. Quod enim de Antiquis Eusebius olim dixit, *honorem ipsis esse, si bene docuerint, quod repetantur eorum doctrinæ*, aliis etiam Doctoribus applicari jure potest & debet. Ingeniosè olim *Zeuxis* Crotoniates Helenam formâ undequaque perfectissimâ efficturus, cum omnia, ex quibus constare excellens illa, quam quærebat, pulchritudo debebat, in uno reperienda corpore esse desperaret, quinque formosissimas elegit & ad se adduci jussit Virgines, ut quod in quaque earum excelleret maxime, in suum referret exemplar: atque hâc arte opus omni laude majus effecit & perfecit. Quis vero sagacissimi hujus Artificis a nullis non scriptoribus vestigia premi, vitio unquam vertit? ea scilicet, quæ in uno-

*Euseb. lib. 2. adv. Sabell.*

unoquoque Autore laudabilia & elimata maxime offendunt, in usum suum rapientibus, atque exinde quod lucubrari in animo habent, judiciose, quin & audacter nonnunquam concinnantibus & perficientibus; præprimis adeo industrii si sint, ut, juxta *Senecæ* consilium, *omnia, quibus adjuti sunt, abscondant, ipsum tantum, quod effecere ostendentes. Quæ hic propono* (verba sunt Paschasii Ratberti) *multorum sunt eruditissimorum hominum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit auctoritas veritatis sed proprio commendata stylo novitas facit esse mea. Ita ut Tractatus, qui de pluribus colligitur, unus verè videatur, & specialiter esse meus.* Imo vero negare quis ausit, imprimis oculatior si sit, & modicæ tantum lectionis, quin (ut ut contrarium jactitare hodie non dubitent homines quidam nugivenduli dicam an novivenduli)

*Senec. Ep. 84. Paschas. Ratbert. Præf. in lib. VI. ad Matth.*

duli) universa fere moderna scribendi nostra ratio in hoc solo consistat, quod quæ ab *his* scripta olim sunt, recoqui ab *aliis* videamus, adjectâ tantum novâ quâdam super antedictis ἐπικρίσει, vel appositis duntaxat novis quibusdam ante scriptorum amplificationibus, *tum* per earundem thesium probationes recenter inventas, harumque ab opponentium novis exceptionibus instantiisque vindicationem; *tum* per nonnullorum (quæ plurium Criticellorum primaria & superogatoria diligentia jam est) scriptoribus antiquis locorum, quæ vel in dubium tracta, vel variis Eruditorum interpretationibus intorta, saltem vexata, hactenus fuerunt, repetitionem & conglomerationem. Hinc rectè hactenus Poëta:

*Nullum est jam dictum, quod non dictum sit prius:* *Terent. Eunuch. in Prolog.*

*Quare*

*Quare æquum est, vos cognoscere atque ignoscere.*

*Quæ* veteres *factitarunt, si faciant novi.*

Senec. Ep 97. Et Seneca: *multum interest, utrum ad consumptam materiam accedas, an ad subactam, Crescit indies materia, & inventuris inventa non obstant. Præterea conditio optima est ultimi.* Et alibi: *Qui præcesserunt non præripuisse mihi videntur, quæ dici poterant; sed aperuisse.* Eo magis, quod omnis nunquam materia adeo excisa sit, ut reliqui nihil deinceps ad spicilegium post futuris superiorum diligentia vel industria fecerit. At vero universa aliorum capita, imo Tractatus dimidiatos describere, & ut suos lectoribus obtrudere, ne interposito quidem qualiquali propriæ mentis judicio, nullisque magistris laudatis, *ingrati* in Præceptores animi signum, imo detestandum *librorum plagium*

*gium* esse, negare quis ausit? Hoc inter alia etiam multandum tandem incommodo, quod inæquali passim oratio procedere debeat pede, ita ut tunc legere videaris *Tullium*, nunc *Tacitum*, tunc ampullas Sophocleosque cothurnos, nunc trivialem humique repentem stylum, atque adeo non raro

*Turpiter atrum*
*Desinat in piscem mulier formosa superne.*

Truncoque veluti aureo lutei supponantur pedes. Quod quam probrosum scriptori sit, quis non videt? Castigavit *ingratitudinem* hanc singulariter in Macrobio *Petrus Crinitus*, eo quod e penu *Gellianæ* eruditionis multa in cænas suas deprompsisset: *Homo* (inquit) *quidem fuit eruditus, sed ingenio maximè ingrato, ac prope impudenti, ut qui tanto æris alieni cumulo. nusquam creditoris nomen profiteatur.*

*Petr. Crinit. 22. de hon. disc. 4.*

*Hotting. Hiſt. Eccleſ. part. V. pag. 102.*
*Scal.* Ep. 241.

*tur*. Prout eodem etiam ſtigmate modum hunc agendi in *Galatino* notavit *Hottingerus* hiſce *verbis*: *Quare ingratus fuit Galatinus iſte Franciſcanus, qui ne ſemel quidem Raymundi* Sebondi (ex hoc enim juxta *Scaligerum*, omnia ſua, ſurripuerat: *Morinus*, ut ſupra viſum, ſubſtituit Porchetum) *nomen memoravit*. Attendi itaque a *Plagiariis* hujuſmodi velim ad ſolertiſſimum *Ariſtophanis* judicium, quod ex *Vitruvio* nobis refert vir Doctiſſimus D. Urſinus. *Is* (inquit) nempe Ariſtophanes, *cum a* Ptolomæo *Philadelpho, muſis & Apollini dicatis inter judices litteratos ſeptimus aſſideret, cæterique ſex unanimi ſententia primas & ſecundas in certamine Poetarum tribuiſſent illis, quos maxime animadvertiſſent multitudini placuiſſe, eum primum pronunciari juſſit, qui minime* Po*pulo placuiſſet: quod cum mira-*

*Urſin. Mantiſ. ad Acerram Philol.* §. 137.

*retur*

*retur valde tum Rex tum multitudo universa, dicendi veniam flagitavit, eaque impetrata factoque silentio, eum solum poëtam eße dixit, cæteros vero non sua sed aliena recitasse, judicantium vero eße, non furta sed scripta judicare & probare. Idque cum ex armariis, eductis voluminibus ostendißet, coegißetque, qui recitarant, se furatos sua esse, confiteri, Rex cum illis furti agi jussit, condemnatosque cum ignominiâ dimisit. Aristophanem vero amplissimis muneribus ornavit, & super Bibliothecam eum constituit.* Et quam non injuste! quoniam *Synesius*, Ptolemaidis Episcopus, *impium magis esse mortuorum lucubrationes, quam vestes eorum furari, magnumque hoc crimen, cum ipsâ sepulchrorum effossione affinitatem habere,* aperte pronunciavit. Quæ cum ita sint, mirari certe subiit, quo- Synes. Ep. 41.

modo Theologus quidam cæterà non incelebris, senectâque reverendus (forsan, quod sine alieno vitulo in commentationibus suis arare vix consueverit, omissis passim eorum, a quibus doctus sua est, nominibus) palliare & incrustare artificium hocce, hisce verbis nuper instituerit: *Quod prout in convivio cibi appositi & panis in frusta sectus non amplius sunt solius heri, sed omnium invitatorum &c. Ita & cogitationes conceptusque publico donati, non sint illius solius qui istos invenit primum, sed omnium communes, & quos proprios facere cuique licet, adsciscere placet.* Leoninis interea morsibus satis hostiliter omnes eos insultans, qui diverso ab ipso pede hic eunt. Sic enim eos delineat: *Quod citandis sine modo & fine Auctoribus centones suos farciunt, ut multæ lectionis &*

*& vastæ eruditionis titulo apud semi-doctos & sciolos superbiant.* &c. Dictatorie sane! At vero jungitne hic

*Humano capiti cervicem pictor equinam?*

De Origin. Error. in Præf.

Quæ enim inter *librorum* scriptionem, & commentitium, quale fingitur, convivium convenientia, imò quæ non disconvenientia! *Ut* minutatim demonstrari posset, si id jam ageretur. At accipiamus comparationem. Diximus jam quid per P*lagium* quid per P*lagiarium* intellectum velimus, vocibus enim ludere ne puerum quidem decet, nedum senem. Fatemurque libentes, scriptorem, qui librum aliquem vulgavit, eo ipso nemini non jus facultatemque concessisse, conceptus illos publico jam donatos, ut suos adoptandi. Ast quid tum! tollitne id jam omnem plane

*quæ semel divulgata sunt & in lucem edita, publici juris jam fiunt, & a quovis lectore usurpari possunt, modo ne de industria subtrahat ea autoribus suis, sibique in morem* Plagiarii *vendicet.*

*Fuller. miscell. Theolog. in Append.*

*Quod facile vitabitur si non passim* (quod nemo postulat) *sed quoties opus erit, Autores appellentur.* Comparare vero cum placuerit celebri Theologo *Plagiariorum* hoc jus in aliena scripta, cum eo quod conviva habet in omnes ab hospite appositos cibos, eccesis, quam parum id causæ ejus prosit, *in Johannis Heidfeldii* verbis, quibus *Matthæum Tympium*, qui eidem huic inhærens similitudini, *Mensam Theologico-Philosophicam* in lucem emiserat, ita olim perstrinxit. *Tu* (ait, Tympium compellans) *& tui similes nostros libros lectitatis, sed valde illiberaliter & parum ingenue. Ego si ea tollam, & mihi vin-*

*Heidfeld. [illegible] Theolog. Philosoph. cap. 25.*

*vindicem, ut jure debeo, quæ mihi, ut te Plagiarium decet, surrepta in mensa tua Philosophica apposuisti, vah! quantula portio aridarum tuarum micarum supererit. Si*, inquam, *tollantur, quæ sunt* Heidfeldiana, *arido pumice eris siccior, & Leberde nudior. Furtum, piaculum, falcis in alienam messem missionem,* primo *sepulchrorum veluti effossionem* &c. Fallacem hanc occultamque alienarum cogitationum surreptionem alii, ut ostendimus, indigitarunt; quodsi autem benigniuscule forsan sentire, favorabiliusque de eâ pronunciare *viro* huic *Docto* placuerit, dissentientesque a se suaque opinione errasse exstimaverit, cur non aquâ potius quam aceto non fraternè potius quam contumeliose, eluere maculam illam tentavit? Cur non ex charitate eos tractare potius, quam mentem actionesque eorum in sequio-

quiorem ſenſum detorquere ratum duxit? ſed cano venerandi Viri capillitio id dandum. At in gratiam interim redeat, ſi vir ſit, variorum ſcriptorum allegationes invidioſe ita exagitando, cum *Grotiis*, *Voſſiis*, *Mornæis*, *Gathakeris* ſimilibuſque Heroibus, quos ſanè innumeros fere Autores ad partes vocare ſolitos fuiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Vel ſi & illi ipſi *Plagiarii* venerando Viro fuerint, (ut vereor, ne fuerint; quoſlibet enim, majorem adducentes ſcriptorum turbam ſtigmate hoc fere notabat, quod non fugit eos, qui genium moreſque eos perſpectos habuerunt) Ergo in omni diſciplinarum genere præſtantiores Commentatores, Interpretes, conſilia, deciſiones, quæſtiones congerentes, repetundarum etiam accuſet: Neque enim ipſe tunc *Plato*, neque *Herodotus*, neque

*Dionys. Halicarnassaus*, neque *Cicero*, neque *Varro*, neque Plinius, neque *Bartolus*, neque *Zasius*, neque *Tiraquellus*, neque *Chaßanaus*, neque *Cujacius*, neque *Donellus*, neque Antiquorum interpretationes refricantes ulli, in tuto erunt. Sed ad *doctam* & *elegantem*, ut loquitur; *Macrobii* Præfationem provocet, nihil dubitans, quin *ea perlecta*, *æquiores habiturus sit judices.* &c. At quosnam, quæso, expertus est judices parum æquos; ipsemet sane, ut supra visum est, in alios, eosque ipsissimos fratres, judex iniquissimus? Et quid? *Macrobius* ne jam negotium hoc conficiet? dignum sane patellâ operculum? Plagiariorum Primipilus *plagiariorum* erit Patronus: *dictus* scilicet, nominatissimis scriptoribus *omnium Autorum verè fucus*, *fartor semi-priscus*, *Rapsodus*, *simia*, *laverna* &c. Sic enim

enim de ipſo *Muretus*, *Eraſmus*, *Obſopeus*, *Voſſius*, aliique plures. Tametſi in hoc forte Doctore noſtro haud pejor fuerit, quod non tantum mordaciter in alios a ſe diſſentientes non ſit debacchatus, ſed & candidè depilationem ſuam confeſſus nonnunquam, imo veniam ejus deprecatus ſit. En verba ejus in *Proœmio* ad filium, *Saturnalibus* præfixo: *Neque mihi vitio vertes* (ait) *ſi res, quas ex lectione variâ mutuabor, ipſis ſæpe verbis, quibus ab ipſis Autoribus enarratæ ſunt, explicabo. Quia præſens opus non eloquentiæ oſtentationem, ſed noſcendorum congeriem pollicetur &c. Apes enim quodammodo debemus imitari, quæ vagantur & flores carpunt.* Neque laudanda tamen omnino eſt ſcriptorum illa citatio, quæ ipſi ſcriptorum contextui inſeri catervatim a quibuſdam ſolet; cum vix fieri videas, quin ari-

*Muret. ad Senec. de Ben. lib. 3. Eraſm. Adag. 231. Obſopæ. Not in Antholog. lib. 2. cap. 18. Voſſ. de Hiſt. Grec. lib. 1. c. 20.*

*Macrob. Proam. Saturn. ad Fil.*

ditatem quandam scribentis stylo illa adferat, orationisque filum in tantum sæpe interrumpat, ut sine hæsitatione legendo pergere haud integrum sit. Et quid opus, allegationes istas ipsum textum intercurrere, cum nihil obstet, quo minus, appositis quibusdam asteriscis, in margine appingi possint? quod inter multos celeberrimus *D. Mornæus*, Plessiaci Dominus, in eruditissimo *de Eucharistiâ* opere, ritè observavit. Mittant proinde boni quivis Scriptores, quantum fieri potest, a prædecessoribus bene dicta, aliisque potius, quæ hactenus forsan ita in luce posita non sunt, incumbant. Plurima quidem sunt, quæ scimus, at multo adhuc plura, quæ nescimus, quibusque investigandis & eruendis occupari satis moderata ingenia possunt. Sunt quæ penitiorem eviscerationem & eluci-

elucidationem, ſunt quæ ſolidiorem probationem & ab objectionibus & exceptionibus, recenter excogitatis, vindicationem, ſunt quæ ſpiritualiorem ad praxin pietatis efflagitant applicationem, hiſce (inquam) excutiendis, hiſce expediendis, docendis, inculcandis, immoretur quiſquis lucubrationibus ſuis inſervire publico ſtudet. Tollet ab aliis quod lubet, verum a ſe de ſuo ſic perficiat, ut eſſe aliorum deſinat, ſuum fiat. Vel, ut notanter alicubi Vincentius Lirinenſis, *ſpiritualis Tabernaculi Beſaleel eſto, pretioſas divini dogmatis gemmas exſculpat, fideliter captet, adornet ſapienter, adjiciat ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur exponente eo illuſtrius, quod ante obſcurius credebatur. Per ipſum poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quæ didi-*

*Vincent. Lirinenſ. cont. Prophet. voc. Nov. cap. 27.*

*didicit, ita doceat, ut, cum dicat nove, non dicat nova.* Et neque qui ſic facit, tædioſà facile peccabit prolixitate, neque inutilem, ingratamque operam lectoribus vere φιλομαθέσι unquam, e contra vero bonam & utilem, eſt præſtiturus. Haud enim *Plagium* jure quis dixerit, quo neque injuria fit ſcriptori, neque lectoribus, imo vero plus inſervitur publico, quam ſi non eſſet commiſſum. Apud *Euſebium* e *Porphyrio* legitur vel diſquiritur potius, num e *Demoſthene* Hyperides, an vero Demoſthenes ex *Hyperide* eſſet furatus? quod dum utriuſque συγχρονισμὸς dubium redderet, litem ſic terminavit *Apollonius*: Demoſthenem, etiam poſito quod fur ſit, *laude tamen dignum eſſe*, quia quæ accepit præſtantiora reddidit; vita privandum e contra *Hyperidem*, quod elegantiſſimam *Demoſthenis* oratio-

*Euſeb. de Præparat. Euangel. lib. 10. cap. 3.*

tio-

tionem in pejus convertisset. 3. Si tractandis præcipuè rebus inhæreant; non tam vocibus verborumque supererogatoriis amplificationibus.

*Ornari res ipsa negat, contenta doceri.*

Alioqui suis tantum velut rosis coronatur, *libri* moles sine nervis fiunt, & *vel* in cortice subsistere lectorem faciunt, vel si rebus magis delectari soleat, quam verborum ampullis, legendi ardorem mirum in modum sufflaminant. Invenias fere, proh dolor! quos præposterè curiosos formularum cantores, *syllabarumque*, ut Cicero eos vocat; *aucupes* dixeris, qui voces pro fastu comtiores quærunt, λογοδαιδαλίαν quasi venalem gestant, tributim verba convertunt, fluctus maris in simpulo excitant, quantum volupe est, circulantur, verbisque in ostentationem numerosis ge-

ne-

nerosos discursus jactitant, *rerum* interim *tractandarum* vix modicum solliciti, iisque haud absimiles hominibus, qui calceum dum curant, pedis, cui inservire is debet, parum studiosi sunt; saltem in pede, quam in oculo curando diligentiores se præbent. Perversissimo rum judicio tum molimine. Vix enim, imo ne vix quidem, afficit viros cordatos diffusa illa loquendi farrago, oratioque mille licet calamistis meretriciis reusta, fluentibus unguentis delibuta, pigmentisque Rhetoricis effæminata. Nucleum illi quærunt, non corticem, succum non florem. Quid a volutandis spissis *Patrum* multorum voluminibus deterruisse tam multos putas, præter hoc unum, quod immenso cum tædio tot allegorias, tropologias, inficetas amplificationes permeandas soleant exhibere, antequam ad mi-

nu-

nutiſſimam fere auri particulam inveniendam acceſſus detur: quod veteres ἐκ πολλῶν ἀχύρων ὀλίγον καρπὸν συνάγειν, id eſt, *ex multis paleis paululum fructus colligere* vocitarunt. Quod itaque in ſpecie de *Apophthegmatibus* verum eſt, quibuſvis dictis ſcriptiſque jure etiam accommodes, eorum nempe gratiam decoremque in hoc præcipue conſiſtere, ut verbis pauciſſimis ſententiæ complectantur plurimum. Eſtque hic γνήσιος ille *Laconiſmus* vel ſermo *Chilonius* Antiquis adeo commendatus. *Quid enim* (inquit Cicero) *tam furioſum eſt, quam verborum vel optimorum atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nullâ ſubjectâ ſententiâ nec ſcientiâ?* Venuſte in ſcriptores hujuſmodi verboſos alicubi jocatur vir Ampliſſimus, *Johannes Brunæus*, ordinum Zelandiæ olim Syndicus, cujus verba vernacula, quia ἐμφαντικώ-

*Cicer. de Orat. lib. 1.*

*Joh. de Brune Banket. w. 2. Deel. pag. 333.*

κώπερα ſic patebunt, ac ſi latine verterentur, ita ſonant:
„ Wa. einomen (inquit) nu al
„ Schrijvers / die ſeven Blade-
„ ren met woorden / ſonder
„ de minſte Wortel der ſaecke
„ daer onder te hebben / ver-
„ vullen; die als ghy 't al met
„ ſpijtigh tijd-verlies overlopen
„ hebt / niet anders daer van
„ behoudt als een hand vol
„ windts of een greep van de
„ Sonne. De Tijtel bedrieght
„ ons veeltijds / ſchijnende ons
„ Goude Schatten te beloohen /
„ en 't zijn maer doove Koolen /
„ die ongeviert zijn. De over-
„ mate van Fluymen doet het
„ aengeſight vol en geſwollen
„ uytſien / daer 't evenwel niet
„ ſoo droogh en ſoo dorſtigh is
„ als een Water-ſughtige. Soo
„ gaet et met die lange Penne-
„ brekers, die 't Papier met ydel-
„ heyt opvullen / en niet een ver-
„ heven en treffelijk gepeyns
„ daar onder mengen. Het ſchij-
„ nen Sterren van een eeuwige
„ ſchoonheyt te weſen / daar 't
„ niet anders als aangeſteken
„ dampen en Stal-keerſſen ſijn /
„ die

„die schielijk in nietichept en
„stank verdwijnen Van sulke
„sept Longinus, daar haar schrij-
„veren nog vleesch nog merg
„nog leve hebben / datse week/
„Sponsieagtig / en als een vose
„Campernoelje sijn. Sy leg-
„gen op een Nagtegael aan/
„maar als 't wel doorsien is/
„een Uyl is haar ontvlogen.
„Dat het sijn eer bepissen.
Curandum itaque potius, ex *Sidonii* monito, prudenti scriptori est ut causam sive argumentum impleat, quam paginam; neque solum hoc agat, ut turgescat & infletur volumen, sed ut aurea potius & gemmea quædam operi suo inferat, certo sibi certius persuadens; nunquam grata lectoribus acceptaque illa fore, quæ præter rem, verbis utut mellitissimis, intrusa esse deprehenduntur. Si denique 4. Dum cum Adversariis luctandum est, argumentorum non tam *numero* quam *pondere* studeant decertare. Communis fere

re hæc *Controverſiarum Scriptorum* dormitantia eſt, quæque libros eorum plus juſto intumeſcere plerumque facit, quod numeroſo ratiociniorum choragio obloquentes non tam convincere quam obruere ſatagant. Alia ſane mens illuſtri *Johanni Calvino* ſemper fuit. Hic enim, utcunque πολυγραφώτατος, & diſputator acerrimus eſſet, hæreticos tamen, contra quos in arenam deſcendit, totis argumentorum phalangibus, nunquam eſt adortus, ſed diſerto & conciſo potius acumine confodere eos ſtuduit, imo & confodit. Vix enim contingit, ſi *turbâ* argumentorum agere quis malit quam *momento*, quin intercurrant plerumqne tela quædam plumbea, ficulnea, ſtraminea, quæ adverſarius opus habet, non tam retundere & comminuere, quam uno veluti ictu diſpuere, quaſi ventus folia, aut
pan-

panniculam tectoriam, quandoque non sine cachinno, in magnum asserendæ causæ præjudicium. Puerorum terriculamenta sunt hastæ junceæ, ut ut magno numero in hostem directæ, non militum armatorum; plusque hisce debellandis & confundendis valet unum argumentum apodicticum, quam dialectica mille. Audiatur iterum Cl. Hoornbekius: *Ne arbitremur* (inquit) *numero & copiâ argumentorum in disputationibus rem agi: sunt qui putant solâ fere multitudine victoriam obtineri, quos sua quidem ratio vehementer fallit. Non numero sed pondere argumenta æstimanda, & pauca, quam plura.* In dictione observavit id olim *Phocion Atheniensis*: Huic enim in concione sedenti, cum quidam dixisset, *vidêre meditabundus Phocion!* *Rectè conjectas* (respondit) *cogito enim, siquid queam* detrahere

*Hoornb. Summâ Controvers. in* Præfat. *p.* 56.

Erasm. Apophthegm. lib. 4. pag. 382.

here *his, quæ dicturus sum apud Athenienses.* In quæ verba Erasmus: *Alii solliciti sunt, ut quam plurima dicant, quo videantur diserti, illi diversa erat cura, nimirum ut quæ ad rem faciebant, verbis quam paucissimis complecteretur.* Ut enim apud Sophoclem.

Sophocl. Oedip. Colon.

Χωρὶς τό τ' εἰπεῖν πολλὰ, καὶ
τὰ καίρια.

*Multa aliud, aliud id quod
è re sit, loqui.*

XV. Quodsi ergo (ut jam dictum) juxta prudentiæ hujus, *Soliditatis, Perspicuitatis & Brevitatis regulas* nunquam non a *scriptoribus* procederetur, ne quenquam quidem conatibus eorum offendendum unquam esse, persuasissimus sum. Ut neque Salomonis illud πολυθρύλλητον, cujus supra injecta mentio est, ullo jure opponi illis fas erit, quasi nempe is omni plani πολυγραφίᾳ infestum

ſtum ſeſe eo præbuiſſet; quis enim in animum id inducat ſuum, cum ipſiſſimus Rex ille ſapientiſſimus numeroſiſſimis ſcriptis inclaruerit? Ipſo enim hoc capite adſcribitur ei; quod *ſcrutatus ſit & concinnaverit ſententias multas; quæſiveritque aſſequi verba delectabilia, & ſingula ſcripta recta, verba fidelia.* verſ. 11. 12. Et alibi, *quod elocutus ſit ter mille ſententias, fuerintque cantica ejus ſupra mille: quod elocutus ſit de* 2. Reg. 4.
*plantis a cedro, quæ eſt in Libano,* 34.
*uſque ad Hyſſopum, quæ prodit e pariete; de jumentis & de volucribus & de reptilibus & de piſcibus.* Addit Joſephus, eum de
*Magiâ* & *exorcizandi ratione* etiam ſcriptitaſſe; quod an verum ſit, dubitatur, mihi ſaltem haud veroſimile fit, Principem tam pium tam ſapientem rebus Diabolicis & infernalibus perſcrutandis, pretioſas ſuas horas impen-

*Joſeph. Antiqq. lib. 8, cap. 2,*

pendiſſe. Ut neque magis arridet, quod librum *Remediorum cujuſque morbi*, Templi inciſum veſtibulo, conſcripſiſſet, quem *Ezechias* Rex poſtmodum evulſiſſet, eo quod populum morborum ſuorum curationem inde magis, quam ab ipſo Deo exſpectare animadverterit. Quo & ejuſdem Regis verba tum trahunt, quæ morti, ut putabat, vicinus effatus eſt 2 Reg. 20. 3. *Obſecro, Domine, memento quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt coram te fecerim.* Bonum illud, quo ſpectabat *Ezechias*, ad evulſionem dicti libri medicinalis, (quem, דִבְרֵי רְפוּאוֹת שׁלוֹמֹה *verba medicinalia Salomonis* dictum eſſe volunt) referentes. Sed incerta, inquam, hæc ſunt, vel potius fabuloſa; neque opus eſt eo recurrere, quia, utcunque ſcriptis ſapientiſſimi Regis hæc

non

non annumerentur. Manifeſtum tamen ſatis eſt multorum *librorum* Autorem eum fuiſſe, atque adeo neque ſuam neque aliorum πολυγραφίαν verbis hiſce abſolute condemnaſſe.

XVI. Senſus igitur dicti loci hic potius erit, Vel quod filio ſuo dicere voluerit *Salomo*; ſiquidem ego *ſcripturam rectam*, *verba* omnia *delectabilia*, *verba veritatis*, *verba ſapientum* (de his enim verſ. 11. 12. 13. locutus erat) fruſtulatim & diffuſe explanarem, tantus mihi utique *librorum* eſſet conſcribendus numerus, ut nullus eorum *finis* daretur, & non niſi legentium caro tractatione eorum gravaretur & fatigaretur. Hinc e re magis eſſe duxi, omnia illa ad generale quoddam κεφάλαιον revocare, idque hiſce verbis compendiario tibi indicare. *Finis verbi totius auditus eſt, Deum time & mandata ejus cuſtodi, quia hoc*

*est totum hominis.* Vel quod monere voluerit, ne libris ullis extra verbum Dei, sive *Scripturam rectam*, nimis unquam inhæreret, tantumque iis efficaciæ attribueret, quasi ex iis etiam *summum* hominis *Bonum* educendum, animisque vera & solida consolatio derivanda esset. q. d. Scriptorum ullorum humanorum nullius quidem est finis, sed utcunque infiniti numero pæne sint, omnes ii tamen, simul sumpti, præstare id unum non possunt, quod Scriptura sola potest, adeoque & hæc sola in solidam animi tui contentationem quærenda & adoptanda. Corpus mentemque quidem gravabit aliorum librorum lectio, si ei pertinacius inhæreas, fiduciamque in illam ponas, animam vero nunquam tranquillabit. *Exceptis hisce verbis* (ait Hieronymus) *quæ ab uno* P*astore sunt data, atque*

Hieronym. in Eccles. 12. 14.

*que*

*que a Conciliis atque consensu prolata sapientum nihil facias, nihil tibi vindices: Majorum sequere vestigia, ab eorum authoritate non discrepes. Alioqui quærenti multa infinitus librorum numerus occurret; qui te protrahat ad errorem, & legentem multa frustra faciat laborare.*

XVII. E quibus tum planum etiam est, prout Regis hæcce verba librorum multorum *scriptioni*, in se considerataæ, haudquaquam obsunt, ita neque diligenti eorum studio & *lectioni* simpliciter opponenda ea esse, sed eo usque, ut dictum est, tantum quatenus à scripturarum examine avelleretur, vel sollicitaretur nimium, ad veram & solidam consolationem e scriptis humanis peræque ac ex ipso verbo Dei conquirendam. Utilissimum enim alias est, sacrarum litterarum scrutationi aliorum *librorum* investigationem

nonnunquam ſuperaddere. *Tum* quod præter res ſpirituales, quas ſcriptura ſat ſufficienter exhibet, multa etiam ſæcularia & temporalia ſint, eaque non proficua tantum, ſed & ſummè neceſſaria, quæ in ſacris voluminibus haud ita occurrunt: *tum* quod non paucæ etiam ipſiſſimæ ſcripturæ partes ſint, quæ abſque aliarum diſciplinarum adminiculo & uſu vix, imo ne vix quidem perceptibiles nobis ſunt. Quis enim inter Chriſtianos eſt, qui epidemicam mentium noſtrarum caliginem ignoret? & quo modo diſpelli & corrigi illa poteſt, ſine perſpicuis Sacrarum Scripturarum interpretamentis, in multorum Scriptorum commentationibus paſſim obviis? Πῶς ἂν δυναίμην (γινώσκειν) ἐὰν μή τις ὁδηγήσῃ μέ; *Quomodo intelligere poſſim* (reſpondebat Philippo Eunuchus) *niſi quis explicando*

*mihi*

*mihi praiverit?* Bene Cassiodorus: *Quoniam tam in litteris sacris, quam in Expositoribus doctissimis multa per artem Grammaticam, multa per Rhetoricam, multa per Dialecticam, multa per disciplinam Arithmeticam, multa per Musicam, multa per disciplinam* Geometricam, *multa per Astronomicam intelligere possumus. Non abs re est, instituta singularium Magistrorum, artes scil. & disciplinas, cum suis divisionibus attingere.* Quorum paria facit Clariss. D. *Coccejus*, in hunc ipsum locum. *Non omnino* (inquit) *rejicit* Salomon *librorum copiam & lectionis sedulitatem (nam, ut ait Apostolus* Coloss. 3. 16. Verbum Dei inter pios copiose habitare debet, *& ipse* Salomon *multas parabolas aptavit: quarum partim perscriptæ sunt in Canonicis libris ad usum Ecclesiæ, partim interierunt, licet ab eodem spiritu essent) sed*

*Cassiodor. de Divin. Justit. cap. 29.*

*Coccej.* Eccles. 1 14.

*docet, non nimis evagari ad minus necessaria, & semper id memoria retinere, quod præceptum est, eoque cætera omnia referre.* Haud immerito itaque Helleboro opus esse dixit sagacissimus *Gathakerus* gemino isti hominum pari, cujus in *Præloquio* ad *Antoninum* suum mentionem facit. *Pari* (ait) *ratione rejici possunt omnes in universum ab* Eru*ditis piisque concinnatæ Instrumenti utriusque sancti enarrationes, ut eodem tandem deveniatur, quo processerunt apud nos haud ita pridem par fere geminum, cerebri certe parum sani uterque. Quorum alter præter* Paginam *sacram nihil legebat aut legendum censebat.* Alter *postquam Anachoretæ cujusmodi instar, cum suis domi se concluserat, librorum, quam pro hominis privati sorte censuque amplam satis habebat, supellectilem omnem, Bibliis sacris exceptis, foco accenso, flammis*

Gathak. Præf. ad Anton. Pium.

*ab*

*absumendam tradidit.* Neuter (hæc ejus censura est) *aut fundo justo aut exemplo bono, & quod imitatione dignum sobrius quis sanusque sentiat.* Haud absimile quid *Grunewaldo* cuidam adscribit *Martinus Ruarus* in *Epistolis* nuperrime editis, dum sic eum scribentem ad se inducit: *Cur non potius sumptibus illis, quos in libros edendos insumimus, quosque ægre ac difficulter interdum ab aliis emendicamus, parcimus, & homines ad sedulam* & solam *sacrarum lectionem litterarum relegamus, eosque docemus, ut seriis & assiduis precibus veram illarum intelligentiam a Deo impetrent, missis interim* nostris *in eam commentationibus?* licet visus *postea Grunewaldus* sit, *a Ruaro* amicè monitus, opinionem illam retractare, qualitercunque saltem incrustare voluisse. Non desunt inter Pontificios, qui ad conflandam *Lu-*

Ruar. Ep. 3. *pag.* 15. 46. 47.

*thero* invidiam, ipsum etiam παχυδέρμοις hisce accensere non dubitarunt. Sic *Ægidius Camartus* Rhetelensis, ordinis Minimorum quondam Generalis, vir alioqui bene doctus: *Quæ Apostolica sententia* (inquit, respiciens ad Pauli locum Coloss. 2. 8. Videte, *ne quis deprædetur &c.*) *tantum apud Lutherum valuit, ut persuaserit Philippo Melanchtoni & Andreæ Carolostadio, adhuc ætate florentibus, & in disciplinis sæcularibus eruditis, abstinere ab omni* sæcularium litterarum usu, *propriisque manibus laborare, nec aliud curare, quam de SS. Bibliis volvendis & revolvendis, ut Autor est Surius.* Scilicet *Surius*, infensissimus *Lutheri* hostis, contra *Lutherum* in testem est advocandus! Cui certe, de *Luthero* quicquam narranti, potiori haud jure fidem adhibeas, ac si de vitâ & moribus Christi

Camart. *Elias Thesbit. cap.* 9 §. 7.

sti

sti Pharisæorum, vel de *Calvini* doctrinâ & pietate *Bolseci* testimonia allegarentur. Digitum procul dubio *Surius* ac ex ipso *Camartus* intenderunt ad *Carolostadii* Wittenbergæ concitatos motus, in quibus (referente Bucholcero) *Scholas vastavit, clamoribus inconditis multis in locis præclara multa ingenia, sterilescere & desertis scholis artium studia abjicere fecit.* Sed an suasu consiliove *Lutheri* id factum? Nihil minus. Absens *Lutherus* tum erat, quinimo, quod nescire neminem oportet, qui Historiam Temporum a limine tantum salutavit, *Carolostadii* illum Zelum *Lutherus*, ut justo ferventiorem intempestivumque *culpavit* non tantum semper, sed apertè etiam condemnavit.

*Bucholc. Chr. pag. 484.*

*Scult. Annal. p. 90.*

*Pezel. mellific. p. 111. pag. 337.*

XVIII. Ut neque periculum est (quod prætexi ab iis fere videas, qui ultra peram sapiunt)

ne aliorum librorum volutatione, ipsa sacra scriptura in contemptum tandem abeat. *Illorum* enim lectio *hujus* meditationi opponenda minime est, sed subordinanda. Quin imo contingat aliquando, quod metui dicitur (ut fieri id nonnunquam negari non potest) quis id non tam *lectionis* nedum *librorum*, quam solorum *legentium* vitio & abusui adscribendum iterum esse, non judicet, ut supra etiam monuimus? Et cur *obsecro*, ob abusum hunc qualemcunque, Tractatus cætera non mali, sed pii, mortalium excutiendi magis manibus sunt, quam eandem ob causam sedula frequensque verbi Divini auditio iis dissuadenda, cum par utrobique periculum obtendi possit? Rei certe cujuspiam naturæ non est tribuendum, quod ex pravo ejus usu proficisci palam est. *Solem* inficiunt Hori-

rizontis ſordes, *Lunæ* globum maculant repercuſſæ ex Terrâ exſpirationes (ſi qua errori fides) *ſtellas* motu jactatas perpetuo aëris vapor nobis repræſentat. Ergone *Sol* propterea ſqualidus, maculoſa *Luna*, *ſtellæ* inſtabiles? Nihil eſt tam innocens, quod aliena culpa reum non facit, ſi pravos in uſus deducatur. Crudelitatis officina eſt bellum, Ambitionis columen ſceptrum, Laſciviarum illecebra formæ decor, Luxus adminicula divitiæ, ſuperbiæ pabulum honores, conciliatricula faſtus Nobilitas. Imo quid attinet plura adferre? Quum ipſa ſanctitas in uſus deflectatur fictæ probitatis, & vera religio privatarum fiat famula rationum. Haud damnat igitur *Libros* pii & laudabilis argumenti uſus eorum præpoſterus, ut nec florum pulchritudinem araneæ, quæ venena ex iis conficiunt.

ciunt. Ne addam libellos plerosque *asceticos* (nam hisce infesta maxime est nonnullorum invidia, aliorum ignava socordia) nihil aliud fere esse, quam conciones scripto calamoque exaratas; ut & multas conciones, quæ habentur, nihil aliud, quam libros ore vivâque voce prolatos, quippe nonnunquam quidem quoad *formam externam*, raro quoad ipsam *materiam discrepantes*. Tam procul proinde abesit oportet, ut aliorum scriptorum probatorum lectionem Scripturæ ipsius studio vel hilum præjudicare censendum sit, ut è contrario operas sibi invicē mutuas amicissimè tradant; quin imo manu ducere genuina piorum libellorum lectio ad intensius verbi Divini studium benè legentes nunquam non soleat. Adhuc, cum sermones Domini summatim ferè in sacro Codice propositi tantum sint, benevolen-

lentiæ equidem erga nos miseros homines Divinæ testimonium habendum est, quod latius diductos, fusius explicatos, magnâ sæpe argumentorum insignium varietate firmatos, illustratos, digestos, inculcatos, ad vitæ usum communem accommodatos, aliorum etiam operâ possidere eos concessum nobis sit. Optime *Athanasius* (qui totum hoc conficit negotium) *etiamsi* (inquit) *scripturæ Divinæ ad veritatis indicationem sufficiant, Doctorum tamen Tractatus haud contemnendũ ad faciliorem scripturarum interpretationem adferunt adjumentũ.*

*Athanas. orat. cont. Gent. p.*

XIX. Verum enimvero, prout haud deesse ex jam dictis liquet, qui locum hunc *Salomonis* intorquentes, aliorum præter Scripturam *librorum* lectionem oppugnare eo student; ita neque ex adverso omnes illi, qui diversum se sentire obtendunt forsan, insignesque βι-

βλι-

Auson. Ep. 43. βιβλιόφιλοι audire gestiunt, pro genuinis *librorum* æstimatoribus habendi statim sunt. Quis enim, prout doctores haud pauci sine libris sunt, libros etiam sine doctore sæpe esse, videre non *potest*? Id est, tales dari nonnunquam nomine tenus φιλοβίβλους, qui magnam non tantum felicitatis sed & eruditionis suæ partem in hoc solo reponunt, quod instructissimis Bibliothecis gaudeant, extra eas ne quicquam fere sapientes, imo ne sapere quidem allaborantes, librosque, juxta illud *Senecæ*, non ad *studium* sed ad *spectaculum* tantum possidentes. Ridicule sane, dum

*Clericus in libro vix Valet ova duo.*

Et facete in tales *Ausonius*, ad Philomusum.

*Emptis quod libris tibi Bibliotheca referta est,*

Do-

*Doctum & Grammaticum te,*
Philomuſe, *putas.*
*Hoc genere & chordas &*
*plectra & Barbita conde,*
*Mercator hodie, cras citharœdus eris.*

Ut & *Hieronymus*, contemnens vanam illam pompam: *Habeant* (inquit) *qui volunt, veteres libros vel in membranis purpureis, auro argentoque deſcriptos, vel uncialibus, ut vulgo ajunt, litteris onera magis exarata, quam codices, dummodo mihi meiſque permittant, pauperes habere ſcedulas, & non tam pulchros codices, quam emendatos.* Neque deeſt ratio, quoniam indoctus quis, & auro margaritiſque fulgentes ſibi libros comparans, haud aliud quid facit, ac ſi quis ligneis pedibus elegantes inducat crepidas. Hinc facetè *Ludovicus* XI. Galliarum Rex, cum de illiterato quodam audiviſſet, quod inſignem multiſque libris refertam

*Hieronym. in Proleg. ſupur Job.*

Ursin. in Mantis. Acerr. Philolog. §. 12.

tam Bibliothecam sibi comparasset, respondit: *Homo ille Gibboso similis videtur, qui licet magnum in tergo gestet gibbi onus, nunquam tamen id intuetur.* Et Erasmus alicubi: *Qui divite gaudent librorum suppellectile, atque eorum magis fruuntur* spectaculo *quã* studio, *similes sunt pueris, quibus totas noctes lampades ardent, sed parum advigilant.* Conjunxit hinc Lucianus τόν ἀπαίδευτον & πολλὰ βίβλια ὠνέμενον, id est, *in eruditum* & *multos libros coëmentem.*

Erasm. Apophtheg. pag. 124.

Lucian. in Dialog.

XX. Sunt etiam, quos *Helluones librorum* Cato dixit, id est, multa quidem legentes relegentesque, sed sine fructu & progressu: misellulo *Tantalo* haud absimiles, quem perpetuâ fame sitique tortum fuisse finxere veteres, aquis utut pomisque ori ejus imminentibus.

*Quærit aquas in aquis, & poma minantia captat Tantalus.*

Obesse

Obeſſe equidem oportet numeroſam librorum ſtruem, ſi nullus eorum ſelectus habeatur. *Non refert*, *quam multos* (inquit Seneca) *ſed quam bonos libros poſſideas*. Et alibi; *vide, ne lectio iſta multorum librorum & omnis generis* volumimum *habeat aliquid vagum & inſtabile: certis ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui ubique eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias.* Neque enim vel ipſa quidem diligens *lectio* prodeſſe quid poteſt, ſi properanter, tumultuario, præcipitanter & perfunctoriè tantum inſtituatur, nec ruminetur in ſuccumque & ſanguinem convertatur, quod legitur. *Quid in os ingeri juvat cibum* (quærit Auguſtinus) *ſi in ſtomacho non coquatur & digeratur?* Cum *legebat* (teſtatur idem de

*Senec. Ep. 2.*

*Auguſt. confeſſ. lib. 6. cap. 3.*

de Ambrosio) *oculi ducebantur per paginas, & cor intellectum rimabatur, vox autem & lingua quiescebant.* Imo si vel attentissime legas, haud quicquam tamen te proficere experieris, nisi memoriæ imperfectioni *excerptis* Adversariisve qualibuscunque conficiendis subvenire aliquando instituas. Hoc est, è scriptore qualicunque in certas classes illud seligas & annotes, quod usui tibi quandoque fore existimes. Eximia quidem humanæ memoriæ vis est, grande ea prætorium, penetrale amplum, sed haud infinitum tamen; certos habet limites ac fines, ultra quos progredi non permissum. Diversarum in eâ rerum imagines certis quasi cellulis reponuntur, quibus nisi custodes apponantur, qui servent, nullo negotio effringunt & aufugiunt. Hinc ergo occurrendum imbecillitati est, nisi effluere mox omnia velis,

*Noll. Gnost. cap. 1,*

lis, quæ lectitando tum recepisti unquam, tum confirmare & retinere intendisti: At quomodo id feceris melius, quam *Excerpendo* & annotando? Maxime cum imprimantur altius, quæ non lecta tantum, sed & scripto consignata sunt. *Semel scriptum decies* lectum. Ad rem Plinius: *Sicut apes* (inquit) *non quidvis ex omnibus colligunt, sed ex diversis herbis & floribus primum favos constituunt, deinde ceram fingunt, hoc est, domos cellasque faciunt, deinde sobolem, postea mella: ceram ex floribus, melliginem ex lachrymis arborum: ita non omnia petenda ex eodem Autore, sed ex unoquoque sumendum quod habet utilissimum.* Congerimus enim alias (ut salsè alicubi *Scaliger*) in horrea nostra *simul cum frugibus, etiam scarabæo: cum suis tabernaculis, dum omnia converrimus sine vanno & cribro.* Neque ἀπεϱοσδιόνυσος magni Erasmi hic instru-

*Plin. libr. 1. cap. 6.*

*Erasm. de rat. studii & legendis Autorib.*

structio, quæ sic habet: *Erit igitur huic* (lectori) *per omne scriptorum genus vagandum, ut optimum quemque primum legat, sed ita ut neminem relinquat ingustatum. Atque id quo cumulatiore fructu faciat, ante locos & ordines quosdam ac formulas in hoc paratas habeat, ut quicquid usquam inciderit annotandum, id suo adscribat ordini.* Plinius mox laudatus, ut referunt, *bis mille librorum* lector extitit, imo nullum unquam librum vidit; quem non legit. At quomodo, obiterne tantum? nihil minus: è contra, (quod tribuit ei *Muretus*) *nihil dignum cognitu legit, quod non in litteras retulerit.* Atque ita tandem magno suo merito, à nemine non eruditorum ut rerum omnium scitu dignarum *Promus condus*, artiumque ingenuarum *receptaculum* salutatus fuit. Sic enim tam profunde subsidunt

*Muret. vol. 2. orat. 13.*

in

in reminiſcentiæ noſtræ habitaculum, quæ lectitando accepimus, ut non niſi ipſâ vitâ eripi ea nobis permittamus, juxta *Caſſii* illud *Severi*, qui cum ex ſenatusconſulto *libros* ſuos comburendos cerneret, patienter injuriam tulit, neque verbum aliud reſpondit, quam hoc: *ſupereſt, ut & ipſe jam comburar vivus, quia libros meos edidici.* Atque hâc quidem viâ non *Plinius* aliique tantum, ſed & innumeri alii ingentem profundiſſimæ eruditionis theſaurum quam feliciſſimè ſibi compararunt.

XXI. Prout & hujuſmodi ſunt, quos pro dignis demum *Bibliothecarum* poſſeſſoribus *jure* habeas, quoſque hic tum eruditi ſui apparatus effectus manere etiam ſolet, quod librorum, tanquam inſtrumentorum felicitatis ſuæ litterariæ, deſiderio effuſiſſimo flagrare

non

non tantum sed & consumi nunquam non soleant, φιλομαθίαν suam genuinâ βιβλιοφιλίᾳ, ut fideli pedissequâ, nunquam non insequente. *Julianus Parabates* de se ipso:

Ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων
Ἄλλοι θηρίων ἐρῶσι. ἐμοὶ δὲ βιβλίων
Κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος.

id est, *alii quidem equos amant, alii aves, alii feras, mihi vero à puerulo, mirum acquirendi & possidendi* libros *desiderium insedit.* Alphonsus Arragoniæ Rex omnes sese uniones suos Margaritasque amittere malle, quam *librorum* unum, quos possidebat, aperte professus est. Fuitque hic idem ille Princeps, qui cum *libris* sub sponda positis dormiebat, noctuque exper-

*Anton. Panormit. de dict. & factis. Alphonsi l. 4.*

re-

rectus, allato lumine eos evolvebat. *Equidem ego* (verba sunt *Cæsarionis Cardinalis*, Constantinopolitani Patriarchæ, in Epistolâ suâ ad Venetos) *semper à tenerâ ætate omnem laborem, omnem operam, omnem denique studium in conquirendis libris in omni genere scientiarum consumpsi*, quod argumentum multis ibi notatu dignis persequitur. *Pamphilus Presbyter* tanto (authore *Hieronymo*) Divinæ Bibliothecæ flagravit amore, ut maximam Origenis voluminum partem (quæ, ut supra observavimus, ad sex fere millia excreverant; unde & χαλκεντέρȣ ac *Adamantini* nomen, ob assiduum scriptionis studium, ipsi adhæsit) propria manu descripserit. Quin idem *Hieronymus* de se ipso testis est, tanto sibi *Origenis* volumina, manu dicti *Pamphili* exarata, gaudio fuisse, ut ea nactus Cræsi opes se habere

*Camerar. Hor. subcisiv. cent 3. pag. 243. & 258.*

*Hieronym. de scriptor.* Eccles. *oper. vol. 2. fol.* 132.

recrediderit. *Si enim lætitia est* (inquiebat) *unam epiſtolam habere Martyris, quanto magis tot millia verſuum, per quæ mihi videtur ſanguinis ſui veſtigia conſignaſſe.* Cicero tam impenſe, ſervari ſibi *Attici* libros optavit, ut aſſecutus eos, Craſſum ipſum divitiis ſuperaſſe ſe exiſtimaret. *Arthurus* Walliæ Princeps, *Henrici VII.* Angliæ Regis filius, ſextum decimum necdum ingreſſus annum, omnes modo ſcriptores Latinos dicitur perlegiſſe, præter varios aliud genus libros. *Laurentius Medices* in lectiſſimorum *librorum* copiâ magis *quam in ipſis divitiis* gloriari ſolitus fuit, eamque amicis ſuis *deliciarum* loco oſtendere. Tamque impellentia ſibi ab *Angelo Politiano* & *Pico Mirandula*, ad *libros* emendos, optabat præſtari incitamenta, ut tandem, deficientibus ſumptibus, totam ſupellectilem cogeretur eapropter

*Bak. Chronic. Regg. Angl. pag. m. 708.*

ter

ter oppignorare. Imò *Cælius Calcagninus* inter ipsos *libros* suos tumulum sibi quæsivit & requisivit: Hæc enim inscripta monumento ejus leguntur verba. *Cum* Cælius Calcagninus *nihil magis optaverit, quam de omnibus, pro fortunæ casu, bene mereri, decedens* Bibliothecam, *in quâ maximam ætatis partem egit, publicavit, & in eâ se* condi *mandavit*. Hinc & nullis sæpe pepercerunt sumptibus eruditi, modo probatissimos undecunque Scriptores comparare sibi potuerint. *Aristoteles* (teste Agellio) pauculos *Speusippi* Philosophi *libros* tribus talentis Atticis post mortem ejus emit; quæ summa *mille* præter propter *octingentos* Philippæos facit. *Plato*, ut ut tenuioris conditionis, tres tamen *Philolai Pythagorici* libros, decem millibus denariûm mercatus est, quo nomine *Timoni* amarulentissi-

*Agell. lib. 3. cap. 17.*

*Voss. de Philosoph lib. 2. pag. 66.*

mo sic olim vapulabat:

Καὶ σὺ Πλάτων, καὶ γάρ σε μαθητὴν ὁ πόθος ἔχε
Πολλῶν δ' ἀργυρίων ὀλίγην ἤλλαξας βίβλον
Ὅθεν ἀπαρχόμενος γράφειν ἐδιδάχθης.

*Tuque* Plato, *nam discipulum te dura cupido*
*Abstulit, exiguum redimis grandi ære libellum,*
*Scribere per quem orsus, prædoctus abunde fuisti.*

*Ptolomæus Philadelphus*, pro *Sophoclis, Euripidis & Æschyli* αὐτογράφοις *quindecim* argenti *talenta* Athenienſibus oppignoravit. Et quanti famosissimam LXX. Interpretum versionem non fecit? quum magnis eam sumptibus adornari, inque Bibliothecam suam reponi, non tantum curarit, ut κειμήλιον pretiosissimum, sed & litteras de-

dederit Pontifici exhibendas, Interpretes accersentibus, donaria ad Eleazarum miserit, aliisque Templo sacratis, totque talenta in redemptionem non tantum Judæorum, sed & honorariorum loco, in Interpretes dictos profuderit, ut omnia, juxta calculum *Josephi* & *Aristeæ*, in tantã assurrexerint summam, ut haud sine ratione credideris, totam *Alexandrinam Bibliothecam* tanti non constitisse, imo totum annuum vectigal *Ægypti*, tanti vix valuisse. De stupendo hoc ejus in studia ardore sic *Strabo*: Διαφερόντως ὁ Φιλάδελφος ἐπικληθεὶς φιλιστορῶν καὶ διὰ τὴν ἀσθένειαν τοῦ σώματος, διαγωγὰς ἀεὶ τινας καὶ τέρψεις ζητῶν καινοτέρας. *Ptolomeus, qui* Philadelphus *cognominatus est, super omnes Ægypti Reges erat cognitionis rerum studiosus; cum propter corporis imbecillitatem, semper novæ alicu-* Strabo· lib. 17.

*jus oblectationis materiam expeteret.* Plinius de ſe ipſo narrat, ſe electorum ſuorum commentarios *Laërtio Licinio* vendere potuiſſe *quadraginta* nummorum *millibus*. Inter clericos *Nicolaus* v. PP. per univerſam Europam viros miſit præſtantiſſimos, qui veterum ſcriptorum libros conquirerent reſtituerentque, & *quinque ducatorum millia* ei promiſit, qui *Euangelium Matthæi Hebraicum* adferret. Tametſi enim virum verè doctum minimè arguat, ſola *librorum* voluminumque ingens moles (quis enim tam excors, ut hoc credat?) certiſſimum tamen eſt, perpaucos eſſe, ſi ulli ſunt, qui in viros profundè eruditos ſine multorum *librorum* attentâ ſedulâque lectione unquam evaſerint. Imo vero monſtrare mihi vel unicum velim, litteris probè perpolitum, qui eâ ipſâ de cauſâ, quod talis ſit, omnia deinceps ſcrutandi

*Middendorp. Acad. lib. 3. pag. 619.*

*Jov. Pontan. Tom. 1. pag 270.*

tandi rimandique ardore continuo inflammatus non fuerit. Et quomodo talem aliquem laudatissimi voti sui compotem fieri possibile est, sine insigni exquisitissimorum *librorum* adminiculo & usu?

XII. Quemadmodum vero, ut jam dictum est, hominibus vere *βιβλιοφίλοις* nunquam caruit neque unquam caritura est litteratorum ætas, sic tamen neque defuturi unquam sunt, quos *μισοβίβλους* jure nuncupaveris, hoc est, istiusmodi generis homines, qui tum *corde* tum *ore* etiam præstantissimis eruditorum lucubrationibus semper infestos se præbent, saltem nullo eas loco habent: meminit morionis istiusmodi, *ex Nannio*, laudatus aliquoties *Ursinus*, cujus Historiola sine piaculo vix videtur prætereunda: „ Operæ (inquit) pretium est narrare hic, „ qualem *Erasmus* Episcopum

*Ursin. Tract. & loc. antea citat.*

„ quendam in Dedicatione pręclari operis expertus sit: allatus est liber inauratus, purpura vestitus, ut non solum scripta sed & scriptorum ornamenta amplitudini Præsulis responderent. Ille hinnienti risu primum maligne, ut solet, donum intuetur; deinde jubet vocari purpurarium, ut de purpura, χρυσόχοον, ut de auro, librarium, ut de compaginatione edoceret, quanti constaret. Summulâ in unum collectâ, secundum eam pecuniam dedit. *Erasmus*, ut erat etiam in irâ festivus: *Ego* (inquit) *librum meum arbitrabar donasse, vendidi, ut apparet. Si præsul vellet uti ingenio, optimus evaderet Bibliopola, nec facile decoqueret, qui tam examussim librorum noverit pretia.* Doctus forsan *librorum* studiorumque odium hoc Episcopus ille fuit a Capite suo *Paulo* II. Pontif. Max.

„ Hic

„ Hic enim tam impensè infensus iis fuit, ut quosvis eorum æstimatores uno nomine *hæreticos* dixerit; quinimò hanc ipsam ob causam hortatus Romanos suos fuerit, *ne* (referente Platinâ) *filios suos diutius in litterarum studiis versari paterentur, satis enim esse, si legere & scribere didicissent*. Prout & hoc ideo post mortem decoratus elogio est, quod *omnis eruditionis & virtutis hostis* diem obierit. Hinc & decreta nonnunquam ad *librorum* proscriptionem & perniciem excogitata non tantum, sed & executioni mandata sunt:

*Platin. in vit. Pauli 2.*
*Genebrard. in chronol.*

*Nunc Capitolino veluti turbante Camillo,*
*Ensibus, & trutina Galli fugere relicta,*
*Sic nostri palare senes dicuntur, & ipsi*
*Ut ferale suos onus exstirpare* libellos.

XXIII. Neque mirandum

hoc adeo: re enim intimius expensâ, haud una tantum sed variæ *μισοβιβλίας* hujus se prodent causæ. Originem persæpe hæc duxit ex *merâ* nonnullorum *ignaviâ*: aversantur quippe supellectilis librariæ adspectum homines desidiosi, ne supina sibi, in tractandâ illâ, inertia per eam improperari contingat. Oboritur aliis ex φιλαργυρείας sordidâque *avaritia*: εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη, dixit alia occasione Judas: id nostri nummis applicare solent libris bonis coëmendis impendendis. Neque desunt quos immoderatus *innovandi pruritus* huc impellit. Hoc enim quotquot aguntur, in more habent, in aliorum labores hostiliter satis incurrere, ut suos solos commendent. Scilicet fætere omnia aliorum satagunt, ut sua tantum bene oleant. Lusit hoc pronuper artificio, ac recoctum suum *Donatismum* propagare

pagare ſtrenue conatus eſt *Johannes Labadæus.* Hæc enim continuo ejus vox erat: *Omnis ſcientia e libris hauſta litteraria tantum eſt; dependendum eſt a Sp. S.* & quid non. Nempe ut omnia eo prætextu, etiam excellentiſſima ſcripta, piorum quorumvis manibus exturbaret, eorumque loco cogitata ſua, non ore tantum ſed & calamo totis fere plauſtris ſubſtitueret: Quod & fecit ex parte. Hujuſmodi enim hominibus aſſurgit facile imperitum vulgus, prout falli volentibus fallere volentes nunquam deſunt, præſertim ſi operæ facturi ſunt pretium, qui ſtultâ aliorum crudelitate, vel credulitate potius, in ſuum abutuntur compendium; ſed haud tamen perfecit, quia, dilectis hiſce ſimilibuſque ejus μεθοδείαις, diſſipata ejus ſecta eſt, animamque agit, in extremâ ſtans tegulâ. Atque hic

quidem, ut dixi, communis omnium eorum genius est, qui res in doctrinâ alias moliri aggressi unquam sunt. Et utinam in illa jam non incidissemus tempora, quibus novaturientium omnia plena fere sunt!

Κόρος δὲ πάντων. καὶ γὰρ ἐκ καλλιόνων
Λέκτροις ἐν αἰσχροῖς εἶδον ἐκπεπληγμένους
Δαιτὸς δὲ πληρωθείς τις, ἄσμενος πάλιν
Φαύλῃ διαίτῃ προσβαλὼν ἥσθη στόμα.

*Stobeus Tom. II. cap. 63. ex Euripide.*

*Rerum satietas omnium est, turpes toros*
*Vidi sequentem, pulchra cui conjunx domi:*
*Et plenus Epulis aliquis, e vili cibo*
*Novitate commendante, cepit gaudia.*

Ut

Ut aliâ occaſione *Euripides*; ſed quod noſtris, ſi quicquam, tempeſtatibus jure accommodes. Sordeſcunt jam multis Theologiæ noſtræ varia capita, non quia pejora, ſed quia antiquiora: ut perplacent ex adverſo multis multa, non quia meliora & ſolidiora, ſed quia recentiora & noviora. Et hac ſub περιφάσει, quod aſellorum alias eſt, auro ſæpe ſtramenta præferuntur. *Homerus*:

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσι ἄνθρωποι
Ἥ τις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται. *Homer. Odyſſ. 1.*

*Cantio enim hæc hominum longe eſt celeberrima vulgo,*
*Ac gratiſſima, quæ* nuperrima *venit in aures.*

Et *Lucretius*.

*Poſterior res illa reperta*
*Perdit & immutat ſenſus ad priſtina quæque.* *Lucret. lib. 5.*

*Idem* alibi.

*Sic volvenda ætas commutat tempora rerum,*
*Quod fuit in pretio fit nullo denique honore:*
*Porro aliud succedit, & e contemptibus exit,*
*Inque dies magis appetitur, floretque repertum,*
*Laudibus, & miro est mortales inter honore.*

Quot vero quantasque quidem factiones, animorum distractiones, Doctorum inter sese collisiones funestaque Ecclesiarum pericula nullo non tempore secum traxerit præposterus superborum quorundam hominum omnia *innovandi* furor, hujus loci non est pluribus diducere. Demonstravit id abhinc annos aliquot ipsâ luce lucidius Clar. D. *Vedelius*, in aureo suo de *Prudentiâ Veteris Ecclesiæ* opusculo. Quâ de causâ limatissimis ejus observationibus,

*Vedel, de Prudent. Vet. Eccl. lib. 3. cap. 2.*

pau-

paucula hæc tantum, eo quod examussim rerum nostrarum in Belgio statui convenientia sint, e doctissimo ad Theses *Sedanenses Præfatore* adjecturus sum. Hic itaque, cum in dignissimas *Abrahami Rambürtii*, Præceptoris sui meritissimi, laudes multis verbis excurrisset, orationem suam sic persequitur: Hæc pauca Magi-
„ stri mei æternum colendi me-
„ moriæ debebam. Unum addo,
„ quod silentio prætermittere
„ nefas duco, Pacem studiosissi-
„ me semper coluisse; hac enim
„ laude sine summâ injuriâ de-
„ fraudari non potest, quod sem-
„ per sedulo in id incubuerit, ut
„ controversias inter fratres or-
„ tas sedaret. Utinam omnibus
„ eadem mens, idem animus fu-
„ isset! Nunc proh dolor tot
„ scripta eristica, in Ecclesiæ
„ perniciem nata non vidisse-
„ mus. *Novitatibus* semper in-
„ festum se præbuit. Utut] au-
tem

„ tem pacem coleret, eam tamen
„ veritatis dispendio non quæ-
„ rebat; cum videret in scrip-
„ turarum variis locis enodan-
„ dis, in diversis & bonis argu-
„ mentis tractandis, satis am-
„ plam segetem superesse, etiam
„ excelsissimis ingeniis, in qui-
„ bus industriæ specimen quis-
„ que ederet: non poterat non
„ esse infensissimus hisce *Novi-*
„ *tatum Autoribus*, sub his aliquid
„ veneni delitescere semper au-
„ gurabatur. Sciebat illos rotun-
„ do ore nolle primâ fronte om-
„ nes suas hypotheses in publi-
„ cum prodire. Ea enim est
„ (inquiebat) erroris indoles, ut
„ per cuniculos agat perpetuo,
„ & omnia sua mysteria nolit
„ statim prodere, sed tantum
„ quædam doctrinæ capita, nec
„ tam impia, nec tam absona,
„ magno tamen verborum ap-
„ paratu vestita, & studio veri-
„ tatis ornata, in medium pro-
ferre,

„ ferre, ut siquis emunctæ naris „ & veræ pietatis & Antiquita- „ tis amans aliquid sinistri olfa- „ ciens, ex innatâ Autorum su- „ perbiâ & *novaturiendi* animo „ probe cognito his *novitatibus* „ se opponat, habeant in promtu „ quod respondeant: *Rem non* „ *esse tanti momenti*; *sic facilius* „ *viam sterni ad componendas* „ *quasdam controversias*; de *rebus* „ *ejusmodi non litigandum inter* „ *fratres*; multa *pacis studio to-* „ *leranda esse*. Hac arte (NB) „ multi boni decipiuntur. In- „ terea dum gliscit error. Cum „ plures hisce artibus inescatos „ in partes suas pertraxerunt, „ aliæ rursum Hypotheses in „ medium protruduntur. *Et* „ *aliquanto post*: Revera ab „ hisce *Novatoribus* semper ali- „ quid mali extimescendum „ nonne res ipsa clamat? Nam „ si quod controvertitur res sit „ tam exigui momenti, quid opus

*Jacobi de Vaux. in Præf. ad Thes. Sedauens.*

opus in concionibus, publicis
„ prælectionibus, privatis con-
„ ſortiis hæc ad nauſeam uſque
„ oggerere? Quot ſunt ad ani-
„ marum ſalutem, ad Eccleſiæ
„ ædificationem, ad Dei glo-
„ riam conducentia? hæc dican-
„ tur, hæc doceantur, inquiebat
„ ille vir eximius. Ne ἐρίδων
„ μῆλον inter fratres projicite;
„ Eccleſiæ pax ſit propoſitum
„ veſtrum. In heterodoxis, quæ
„ tanti non ſunt, laureolam, ut
„ ex myſtaceo, *ut primipili* cen-
„ ſeamini, ne quærite. Si Deus
„ *novis luminibus* mentibus ve-
„ ſtris affulſit, quum ad anima-
„ rum ſalutem neceſſariò non
„ requirantur, his ſoli placide
„ fruamini; vobis liceat eſſe be-
„ atis: ſed quicquid ſit, pacem
„ Hieroſolymorum perpetuo
„ colite. *Sic ille.* Aſt vero (ut
dicere jam cæperam) præter
omnia hæc *incommoda* ex The-
ologorum *innovationibus* pro-
pul-

pullulantia, quæ vir ille Doctus mox recensuit, & hoc oriri fere in propatulo est, quod indignissimum aliorum studiis scriptisque, elaboratissimis alias, per eas creari præjudicium nunquam non soleat. Horresco pene recogitans, quam ignominiosa in maximorum virorum lucubrationes tela aliquot jam retro annis non vibrarint homines quidam forsan non usque adeo mali, sed *innovandi* œstro perciti; haud ullum procul dubio alium in finem, quam ut, aliorum conatibus contemtis, explosis, exsibilatis, eo quod partium suarum non essent, majorem Neosophiæ suæ gratiam applausumq; conciliarent. *Haud poterant quippe* (verba sunt Tertulliani) *ædificare mendacium sine demolitione veritatis, & necesse habebant aliud subruere, ut id, quod vellent possent exstruere.* Plus dicam: eo jam delapsas

*Tertull. de Veland. Virginib.*

Ec-

Ecclesiarum scholarumque res pne vid eas, ut non desint, inter eos imprimis, quibus nasi obest obesitas, quo minus olfaciant, quique adeo in Aquiliferorum suorum cerebro unice, id est, quam stupidissime habitant (neque enim prudentioribus hoc imputandum) quos cunctis studiorum suorum adminiculis, quibus antea usi sunt, nullo pretio divenditis, in hoc gloriari, hoc ante omnia jactare impudentissime passim audias (expertus loquor) quod non nisi eorum tantum volvant revolvantque commentarios, quorum factioni partibusque se jam pridem manciparunt. Hinc *ille* de famosissimo Philosopho:

*Philosoph. S. Script. Interp. prolog.*

*Primus inaccessum qui post tot sæcula verum*
*Eruit e tetris longæ căliginis umbris.*

*Alii* de Eodem simul ac celeberrimo Theologo: *Quod si vel unum*

*unum in Bibliothecula sua offenderent librum præter eos, qui illorum sunt & S. Biblia, se quam citissime Vulcano eum sacrificaturos esse.* Adhuc alii, *se neque legere neque deinceps lecturos unquam esse ullum alium autorem, præter duos illos nominatissimos Heroas.* Imo vero conjurasse recentiores quosdam dixeris partiarios (si fides bonæ notæ Typographis) se vel ipsissimâ etiam scriptorum adversariorum emtione quam religiosissime semper esse *abstenturos.* O Tempora! O Mores! Scilicet *omnia examinata jam melius sunt, eamque ob causam in omni materiâ libentius* juniores *legendi, quam* antiquiores, ut judicabat pridem *Amadæus Guimenius,* Lomarensis Theologus; sed quam propositionem dignissimâ notarunt censurâ Doctores Sorbonici, *falsam, temerariam, moribus periculosam, sanctis denique Patribus & an-*

*Amad. Guimen. op. p. 191. n. 4.*

*Hotting. Hist. Eccles. ad sec. XVI. part. 3 pag. 187.*

*antiquis Doctoribus contumelioſam* eam *eſſe* pronunciantes.

XXIV. Quin merus ingenii *faſtus* adeo ſæpe tranſverſos quoſdam egit, ut, ſingularem ſublimioremque ſpiritum pro more crepantes, id ipſum ſe, quod dixi, ſcriptione ſuâ intendere διαῤῥήδην declarare non erubuerint. Vix veroſimilia, credo, videor narrare, dum ſic loquor; ſed audiſis *duos* tantum Autores nuperrimos, & mox adſtipulatorem te habebo. Nominibus eorum de induſtria abſtineo, quoniam monere ipſos animus eſt, non mordere, nedum, prout ipſi alias procedere in fratres ſuos ſolent, bonorum omnium contemptui eos exponere. Licet diffiteri non auſim, vix aliquando poſſibile eſſe, in homines ejuſmodi Bombylios Satyram non ſcribere, ſive, ut apud Salomonem eſt, *ſtulto juxta ſtultitiam ſuam non reſ-*

*respondere.* Adeo enim ſubinde ſui imaginatione diſtenta & differta capita ſua habent, ut Jovis ipſius cerebrum vix æque gravidum fuiſſe credideris, cum Palladem parturiens, Vulcani ſecurim olim imploraret. Eſt itaque, qui expreſſis verbis ſic habet: *Certum ſaltem eſt, hujuſmodi verbi Divini interpretatione* (loquitur de ſubtilitatibus ſuis Propheticis, novis ἐυρήμασι) *imminui frequentem* infinitorum Tractatuum lectionem *& relectionem, in quibus Authores omnia tantum ad ſcopum ſuum corradunt, ſive ei conveniant, ſive non, modo materiam, quam præ manibus habent, amplificare iis poſſint, Loca ſæpe ſcripturæ à fonte & connexione ſuâ avellentes. Adeo ut magno numero Tractatibus ejuſmodi perlectis, nihilo melius ſcripturæ ſenſus percipiatur; quod unicè tamen id ipſum eſt, quod Theologum facit. Atque hæc ratio eſt* (NB) *ob quam*

*In Præfat. ad Apocal.*

*quam ad explicandum verbum* DEI *animum noſtrum appulimus* : Rectè. Scilicet, ut ὁ δεῖνα apud Comicum) *Noris nos, docti ſumus.*

Plaut. mil. glorioſ.

*Hic legiones difflabit ſpiritu*
*Quaſi ventus folia.*

Neque enim minore tumore Cajaphas in Concilio ſanguinario olim dixit, ὑμεῖς ἐκ οἴδατε ἐδὲν, *vos neſcitis quicquam.* Hinc quis, hæc legens, non exclamet cum

Job. 16.2. Jobo : *Nunquid finem habebunt verba ventoſa?* occurritque, hac occaſione, quod *de Paracelſo* quidam litteris prodidere : tantæ eum fuiſſe arrogantiæ, ut palam dicere non dubitarit, *ſtultiſſimum occipitii ſui pilum* (recalvaſter enim erat) *plus ſcire, quam omnes Galeni ſectatores.* Imo *Barbam ſuam plus experimentorum habere, quam omnes, quæ eſſent Academiæ.* Anne enim modeſtius hic Noſter, dum in talia prorumpit verba, quaſi ſe præter

nemo

nemo antehac Theologorum vel antiquiorum vel recentiorum explicationi ſcripturarum accuratè ſatis incubuiſſet, ſed omnes grandiloquo ſibi Theologaſtro teſtamento quaſi peculiari legaſſent, ut ſolus myſteriorum Dei Interpres eſſet. Novus *Italus*, credo; de quo ex *Trithemio Bzovius*, *quod ſe veterum Hebræorum, Græcorum, & Latinorum omnium perfectiſſimam habere ſcientiam gloriatus ſit; veteresque* omnes adeo habuerit contemptim, *ut ſe cunctos eos eruditione excellere dixerit*, imo vero *præter ſe neminem hactenus ſapientem fuiſſe* jactitaverit: Nempe

Bzov. Ao. Chr. 1501.

*Hic genus humanum ingenio*
*ſuperabit, & omnes*
*Reſtinguet ſtellas, exortus uti*
*æthereus ſol.*

Plaut. Mil. Glor. Act. I.

Nam

*Centum in Ciliciâ,*
*Et quinquaginta centum Sycolatronidæ;*

*Tri-*

*Triginta Sardes, sexaginta Macedones*
*Sunt homines, quos hic trucidavit uno die.*

Ergo jam *Calvini*, *Martyres*, *Junii*, *Merceri*, *Paræi*, *Marlorati*, *Musculi*, *Zanchii*, *Riveti*, *Gomari*, *Gathakeri*, & quotquot sunt Theologorum Practicorum pia & ingeniosa capita,
*Cum suis vivant valeantque nugis.*

E contra vociferemur nos,
*O felicia secula! quinam hunc*
*Suffenum tanti nobis genuere parentes?*

Et qualia, quæso, sunt, quæ tanto fastu tantâque hic jactet pompâ? quid est quod ab omnibus hactenus tam neglectum, à se verò solo repertum esse venditet? Non certe fabâ hilum, non in silice Aquila; puerorum ista crepitacula ipsi sunt: Grandiora habet & digniora quæ magno hiatu invenisse se exclamat.

clamat. Cicilendrum eſt & macides, cicimandrum, happalopſides, cataractria, & ſiqua alia veteris ſcenæ condimenta fuere. Non enim hic jus ſuum condit ut alii coqui, ſed divinis uti ſe putat condimentis, quibus ex mortali immortalem ſe ipſum faciat; ferventi clamoſâque audaciâ lucraturum ſe ſperans, ne facile argui a tyrunculis & parum peritis poſſit. Verbo ut dicam, ænigmata ſectatur, non *Apocalyptica* quidem ſive vere *Prophetica*, hæc enim piiſſimâ ſuſcipienda eſſe reverentiâ quis inficias it! ſed maximam partem cerebrina & chimærica, inutiliter multiplicata, temerè excogitata, quinimo perverſè, abſurdè & coactè nullis non rebus paſſim applicata. Abſtinuêre antehac Magni Viri, *Gomari, Perkinſi* &c. Phaëtontæo hoc conatu; neque immerito, cum tenuitatis ſuæ con-

ſcii, ad inacceſſibilia non accedere maluerint, quam altum nimis ſapere. Habet enim liber *Apocalypſeos* multa quidem ſatis obvia, tribus prioribus imprimis capitibus: at ubi ad alia ventum eſt. E. G. *de Gogo & Magogo*, *de mille annis ligati & ſoluti Draconis*, *de igne cœlitus cadente & impios devorante*, *de ſigillis* &c. ſpiſſâ illa caligine involuta eſſe, quis non experitur, quorum ratione veriſſime *Hieronymus* dixit, tot Apocalypſin habere *Sacramenta*, quot habet *verba*. At contemnit Martius hic pullus ſcrupuloſam hanc Prædeceſſorum ſuorum meticuloſitatem, ſed ingenii Vires experturus, rem uſque adeo arduam magnâ confidentiâ aggreditur, conſilio ſi non meliore & prudentiore, reliquis ſaltem audaciore: Scilicet

*Hieronym. ad Paulin.*

Θαῤ-

— Θαρσαλέος γὰρ ἀνὴρ ἐν πᾶσιν ἀμείνιον
Ἔργοισι τελέθει, εἰ καὶ πόθεν ἄλλοθεν ἔλθοι. Homer. Odysseæ H.

*Omnibus in rebus potior vir fortis & audax,*
*Sit licet ipse hospes, longisque advenerit oris.*

XXV. Sed vero quantula hæc apparitura tibi sunt, si cum *tumore* pene blasphemo, quem alibi, idem hic prodit, quoque ipsius etiam Sp. S. non *discipulum* sed *magistrum* sese esse impudentissimè jactitavit, comparare ea non dedigneris! Hæc alicubi ejus verba sunt: **Dat indien de H. Geest op dit onderschept niet gedaght heeft. Immers indien hy dit bedagt hadde / hy immers geen bequamer uytdrukkingen soude hebben kunnen ter neder stellen.**

Id eſt, *quodſi haud memor diſcriminis hujus fuerit Sp. S. ſaltem ſi ad illud attendiſſet, convenientioribus ad indicandam mentem ſuam expreſſionibus uti non potuiſſet.* O nugas bullatas! *Sus ipſa Minervam.* docere quippe bonus vir eum præſumit, a quo ipſe omnia doctus & docendus. Et Viderisne tibi, *lector*, laciniam hanc conſiderans, legere iterum famoſam illam *aureamque* Weigelii *capturam*, quam inſcriptione hac faſtuoſiſſimâ olim commendabat: *Quod ad res omnes, abſque ullo errore agnoſcendas multis doctiſsimis incognita quidem, verum omnibus tamen ſcitu neceſſaria eſſet.* Quis enim ab ullo ſibi errore jam deinceps metuat, tali in ſcenam prodeunte Aretalogo, qui non tantum infinitos ſe mortales, ſed & ipſum Dei Spiritum antecellere ſagacitate ſuâ intrepidè, &, ne nemini non offendiculo eſſet, ſcripto

*Hoornb. de Parad. Weigelian. pagin. 4.*

ſcripto quidem vernaculo, publicè proclamavit! Attendit ergo ſuffenus ad *Temporum diſcrimen* (huc enim reſpicit allegatis verbis) Spiritus vero ſanctus oblitus ejus erat; & ſiquidem huc attendiſſet forte, opus utique habuiſſet hominis hujus acumine, ad mentem ſuam probè exprimendam. Flete jam quicquid eſt oculorum, ob infandam ipſi Dei ſpiritui, imo Deo ipſi illatam injuriam. Jure vir quidam non indoctus, verba hæc pridem legens, perculſum ſe iis ita fuiſſe faſſus eſt, ut

*In Cant. pag. 6.*

*Ridder. lum. ſcript. part. 3. in Præf.*

*Gelidus cui pectore manat*
*Sudor, & e ſubito membra ſtupore pavent.*

Narrat de *Alphonſo* X. Caſtellæ Rege, *Lipſius*, quod in talem proruperit impudentiam, ut ipſiſſimum Deum in negotio creationis varia a ſe doceri potuiſſe, apertè gloriatus ſit. Dictitabat enim, *ſi Deo adſtitiſſet cælum compo-*

*Lipſ. monit. Politic. tit. de* Impietate.

*ponenti & suas stellis scribenti periodos, meliori consilio docturum se fuisse, quo pacto illum suum laborem ordinatius digereret & proportionibus mutuis convenientibus aptaret.* Næ effatum belluinum potius, quam regium! attamen quam parum distant hæc ab iis, quæ *Noster* hic effutivit? quam idem sunt *Accii*, quod *Titii*? Scilicet ab hujusmodi Heroibus (viris professione saltem Christianis) reponi oportuit horridas illas Ethnicorum quorundam voces, quibus, ne sapientiæ virtutisque laudibus quicquam detraherent, cum Deo ipso non tantum comparare, sed & supra eum extollere eas instituêre. Dicebant, *sapientem & virtute præditum Dîs æqualem esse; cum eis ex pari vivere; Jovem non plus posse, quam sapientem. Virtutem Deum ipsum, qua fas est, effingere. Deum sapientem non vincere felicitate, etsi vincat ætate.* Imo

*Wilhelm. de Philosoph. in genere. Disp. 17. §. 3. ex Seneca.*

Imo (quod iisdem pene verbis Pyrgopolinices hi eructant) *esse aliquid, quo sapiens Deum ipsum antecellat*. Fortissimi profectò Ajaces, magnanimi Hercules, qui si a rastris ad rostra transcenderint, vacuum plus nimio verticem inter astra illico condiderint. At periculum & periculosumne foret, si sapientissimi & omnipotentis Dei vehiculum, tot jam sæculis perfectissimè gubernatum, turgidissimis hujusmodi Phaëtontibus regendum posthac concederetur?

XXVI. Neque alius deest, novissimus *Scriptor*, *Nostro* huic planê ἐπιψηφίζων, ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων; hic enim, ductrice & auxiliatrice, ut ait, *Cebetis* Thebani Philosophi tabulâ, id præcipue agit, ut quem ἀπὸ βρέφους studiorum suorum tenuerit cursum, quâque viâ methodoque ad veram, quam accepisse se jactat, sapientiam

deductus tandem ſit; inſolentiſſimo ſtrepitu oſtendat. Totoque lepidiſſimo ſuo *Præloquio* vix quicquam aliud venditat, quam propriarum laudum ebuccinationem, Scriptorum aliorum contemtum, quodque turpiſſimum eſt, præceptorum ſuorum omnium, quotquot à teneris unquam uſus fuit, uno alterove poſtremorum tantum exceptis, virulentiſſimam ignominioſamque exagitationem. Horum neminem *genuinam ſapientiam in juſto ſuo decore* & venuſtate *agnoviſſe*, ab hiſce ſe *per tenebricoſam anfractuoſamque viam ductum* imò ſeductum fuiſſe; hos *lucis loco* nihil aliud quam meram *caliginem* &c. ſibi vendidiſſe, horum ſe inſtitutione ad ipſam pene *deſperationem* & *Atheiſmum* prolapſum, nec non in tædioſo *Monachorum Labyrintho, per totum fere triennium, circumactum* ſe fuiſſe, vel ſiquid gra-

*In Præfat. ad Conc. Confeſſional.*

vius forsan in bonos Magistros pronunciari possit, rotundo ore affirmare non detrectat. Adscribitur vulgo *Platoni*, quod discipulum suum *Aristotelem* mulum nonnunquam dixerit, eo quod mulus materno saturatus lacte, calcibus pulsare matrem suam soleat; ingratitudinem Magni Stagiritæ in se præceptorem suum indicans. Hic enim cum maxima Philosophiæ semina hausisset *a Platone*, scholam tamen adversus eum aperuit, veteremque præceptorem cum discipulis partiariisque suis strenue oppugnavit. Sed meliusne iterum hic Noster? quippe qui utcunque Philosophematibus *Aristotelis* funestum satis bellum indicens, in hoc tamen maxime *Aristotelicum* se esse manifestum fecit, quōd vix minus, ac ille, in præceptores suos injurius sit & contumeliosus. Hi etiam aluerunt equum, qui, ubi stomachum

ventremque ei suffarcinavere, inimicissimo benefactores suos pede calcitrat non tantum, sed & conculcat. Præprimis inimiciorem se præbet in *Philosophiam*, ut vocat, *Scholasticam*, Artem *Logicam*, Doctores *Peripateticos*, & quotquot tum *Cartesii*, tum alius cujusdam celeberrimi Viri cogitatis semet ipsos haud δȣλικῶς satis manciparunt; prout & eos solos, ut lectu dignos, & ad veram sapientiam manuducentes, suspicendos esse, pugnis calcibusque inculcat. Nempe *hi soli sapiunt, reliqui velut umbra vagantur*. Et, en Thrasonismum! Heros *hic*, in palæstrâ litterariâ adhuc elementarius, genuinæ sapientiæ ardore inflammatus non tantum fuit, sed & de excellentiâ ejus non vulgari judicare modo potuit,

*Non equidem invideo: miror magis.*

Per-

Perpaucis enim contingit esse tam beatis. *Hic, dum prima adhuc vernaret temporis ætas*, inter Præceptores proficuos sibi, vel noxios, accurate potuit discernere; *hic* debitâ reverentià & moderatione, cum præceptoribus suis, haud satis ex voto se docentibus, expostulare, *hic* solius scripturæ ductu, remotis omnibus directoribus per notabile aliquod tempus ad sapientiam vere divininam adspirare, donec &c. *Hic* stupendo tandem acumine verbum Dei scrutari non tantum, sed & eviscerare, elucidare, genuinamque omnium ejus partium connexionem (quasi hæc ab omnibus hactenus Theologis, neglecta planè fuisset) invenire & demonstrare potuit, saltem potuisse se præsumit. Hui;

*Quam pulchrum & digito monstrari, & dicier hic est!*

O misellulum jam *Augustinum*,

 qui

qui utut armis peremtoriis contra Academicos in arenam modo descendens, *se tamen ne quicquam quidem de scientiâ humanâ percepisse*, fassus olim fuit! O misellulum *Erasmum*, qui *toto suo tempore nihil aliud didicisse* se asseruit, *quam omnino nihil se didicisse*. Et hæccine, *Modeste lector*, Christianorum modestia jam est, Theologum decens, & à Venerando Classis *Amstelodamensis* consessu utroque pollice laudata, commendata? Vix credo. imo ne visam quidem ipsi, nedum examinatam, lepidam hanc *præfationem* ante editionem fuisse, firmiter confido. Bene *Cebes* Thebanus ad veram sapientiam contendentibus inter alia etiam consuluit, ut omnia quæ in primo septo ingurgitaverant, ejicerent iterum ac expurgarent. At quæ omnia? an errorem, cupiditatem, incontinentiam, iram,

iram, avaritiam tantum? non, ſed & ἀλαζονείαν præcipuè, id eſt, *arrogantiam.* Neque immemor præcepti hujus fuit ipſiſſimus hicce *Præfator* (mentionem enim ejus exertam facit pag. 4.) ſed (quod in turgidiſſimos hoſce conceptus præcipitem ipſum dedit) in praxin id deducere ratum non habuit.

XXVI. Eſt denique *Tertius* Glorioſus miles, prioribus haud modeſtior. Hic enim, in virulentiſſimo ſuo, quod operi *de ſacerdotum veſtibus* præfixit *Præloquio*, vix quicquam agit aliud, quam ut ſplendidiſſima Theologorum lumina, *Hieronymos*, *Epiphanios*, *Didacos del Caſtellio*, *Ar: Montanos*, *Salmaſios*, *Caſaubonos*, *Leones Judæ*, *Lichtfootios*. &c. intolerando ſupercilio deſpiciat & exagitet. Quidam eorum (inquit) *ſenſum S. Scripturæ de* Veſtitu ſacro *tum litteralem tum myſticum ne priori-bus*

*In Præfat. ad op. de Veſtit. Sacerdot.*

*bus quidem digitis attigerunt. Alii Autores priores ſatis male exſcripſerunt & multo pejus ediderunt.* Adhuc alii, *quo ſententiam ſuam tueri melius poſſent, ſacræ etiam ſcripturæ mentem in ſenſus ab eâ alieniſſimos, contra expreßiſſima Sp. S. verba detorſerunt.* Alii denique, qui *de Gemmis* tamen *Sacris* ſcribere inſtituerunt, *tam turpiter ſe dederunt, ut diceres eos vetuſtiſſimorum Judæorum, præſertim Talmudicorum Scripta vix ſummis labris deguſtaſſe, &, quod imprimis faciendum erat, S. Scripturam nunquam cum attentione, &, quâ oportuit, ἀκριβείᾳ legiſſe.* Adeo contemptim hic loquitur *de aliis*! Sed quomodo de *Seipſo*? Honorificè ſane & pompoſè: Attendito; *quod nemo hactenus intellexit, quodque ſummi Viri impoſſibile factu pronunciarunt,* id noſter *poſſibile eſſe luculentiſſimis exemplis adſtruxit; ſique rem acu, ut dici ſolet, forſan*

*ſem-*

*ſemper non tetigerit, plura tamen, & niſi vehementer fallatur, veriora, præſertim ex Judæorum ſapientiâ, & quod ante omnia fieri debuit, ex S. Scripturâ eruit, quam omnes hac uſque, qui materiam iſtam attigerunt,* Autores:

*Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu!* Horat.

Nempe huic mandes, ſi quid recte curatum velis. *Heu quantus* ſane *Theologus!* (quidni enim reddam ipſi quæ in bellula iſtac *Præfatione* aliis, ſe multo forſan melioribus, ſarcaſtice ſatis oggannit) *quantus ſcriptor, dignus* ſane, *ut ad ulteriora promoveatur; non tantum ut templum gloriæ conſcendat, ſed ut in ipſo etiam adyto ab imperitâ plebeculâ adoretur.* Erunt forſan alii, qui ventoſa hæcce *Præloquia*, tam quoad *materiam* quam quoad *formam*, fruſtulatim ad incudem revocaturi ſunt, ad quos nempe Terent.

pe propius spectat, contra hostiles & contumeliosos hujusmodi in receptam Ecclesiæ doctrinam, ejusque celebratissimos hactenus Doctores vindicesque, insultus seriò vigilare. Instituti duntaxat nostri est, exemplis hisce evincere, quam tota nostra Theologia in merum pene *Thrasonismum*, oculatioribus deridendum, piis omnibus deplorandum, magis magisque abeat quamque & hinc subinde fiat, quod multorum insignium librorum contemtus variorum non tantum invadere, sed & in totum fere possidere animos videatur. Gravissimè olim *Gregorius* ad *Johannem* Episcopum Constantinopolitanum, qui primus *Episcopi Oecumenici* titulum affectavit. *Rex* (inquit) *superbiæ prope est, & (quod dici nefas)* Sacerdotum *est properatus exitus, quia cervici militant elationis, qui ad hoc positi*

*Gregor. m. Ep. 38. ad Johann. Constant.*

*siti fuerunt, ut ducatum præberent* humilitatis.

XXVIII. Miserrimo interim constituti loco sunt quotquot scientiæ doctrinæque suæ profunditate, sui scilicet ostentane dixerim an miracula ita inflari se sinunt, ut summa quæque de ingenio suo polliceri sibi ausint, solosque se mundi soles esse existiment, illuminandis obscuris natos & obtenebrandis nimiâ suâ luce splendidis, sua quæque quantumvis exigua, maxima reputantes, ad instar speculi concavi, quod pro pilo truncum, pro culicibus Pegasos reddere solet. Vix enim est, qui tales sunt, quod justissimum Dei judicium effugiant, qui ut *gratiam largitur humilibus*, ita nunquam non *resistit superbis*. Nihil enim forte invenias, quod ad omnes mentis errores, imo crudissimas hæreses imbibendas paratiorem viam sternat, ac tur-

*Euseb. Histor. Eccles. lib. 5. cap. 16.*

turgescens hicce eruditorum genius; ut in omnibus pene hæresium architectis & inventoribus plus quam manifestum est. De *Montano* habet Eusebius, quod *lymphatus factus, subito in mentis obsessione & abalienatione constitutus, insaniverit,* ἐν ἐπιθυμίᾳ ψυχῆς ἀμέτρῳ φιλοπρωτείας, *immodicâ primi loci cupiditate captus.* Idem de *Novato*, quod in hæresin prolapsus sit, *superbia contra lapsos inflatus.* De *Tatiano* Platina, quod utut Vir Doctissimus, postea *tamen sui opinione inflatus, novam heresin condiderit,* quam postea *Severus* auxit, unde *Severiani* appellati. De *Paulo* denique *Samosateno* nimis quam notum est (ut recentiores Hæreticos mittam) quod *inflatus opinione sui*, ac tribunal altius quærens, *negarit Dei filium e Cœlo descendisse, sed a Mariâ cæpisse originem statuerit, initiumque e terra habuisse.* Quem ad

*Idem lib. 6. cap. 43.*

*Platin. in Vit. Pii. I. pag. m. 42.*

ad modum nec quicquam est, quod quoad vitam piè beneque agendam adeo derelinqui hominem a Deo faciat, inque profanos delabi mores, ac idem hic tumor. *Theognis* alicubi,

Ὕβρις καὶ μάγνητας ἀπώλησε καὶ κολοφῶνα

*Perdidit & Colophona ferox mens & Magnetes*

Ὕβρις κολοφώνεια iis olim tribuebatur, qui propriâ ferocitate & *arrogantiâ* exitium sibi ipsis arcessebant. Expertus suo malo id est *Petrus Abaljardus*, infausti *Socini* insignis præcursor: Hunc enim Deus ob parem animi *elationem* hâc multavit pænâ, quod cum vitæ alias esset satis compositæ, in mores postea prorupcrit plane libidinosos & flagitiosos. *Hinc* (ipsius *Abaljardi* verba sunt) *calamitatum mearum exordia* *Abaljard. Ep. 1.*

*dia ceperunt, quod supra vires ætatis* de ingenio meo præsumens, *ad scholarum regimen adspiraveram. Et quoniam prosperitas stultos inflat, & mundana tranquillitas vigorem enervat animi, & per carnales illecebras facile resolvit, cum jam me solum intuendo* Philosophum *superesse existimarem, fræna libidini cæpi laxare, qui antea vixeram continentissime*, Taceo *tum* deplorandum in multiplicandâ scientiâ defectum, qui & consequi fastum hunc solet, præsertim in junioribus, ex *Plutarchi* dicto: Δεῖ τῶν νέων ἐκπνευματῦν μᾶλλον τὸ οἴημα καὶ τὸν, ἢ τῶν ἀσκῶν τὸν ἀέρα, τοῖς ἐγχέαι τὶ βȣλομένοις χρήσιμον, εἰ δὲ μὴ, γέμοντες ὄγκȣ καὶ φυσήματος ȣ προσδέχονται. *Oportet ex adolescentibus opinionem fastumque exprimere, magis quam ex utribus aërem quibus utile aliquid infun-*

*fundere est animus, alioqui fastu flatuque referti non admittunt.* Currentibus enim nihil magis obstat, quam quod eo pervenisse se putent, quo non pervenerunt. Referunt huc quidam, Pauli quoque locum Hebr, 12. vers. 1. Ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα, καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, δι' ὑπομονῆς τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα. *Deponentes omne pondus decurramus propositum nobis certamen.* Ita Heinsius. *Quid si igitur hic* ὄγκος ὄγκος sit φρονήματος *seu arrogantia ac fastus? id quod vulgò* φύσημα καὶ ὑπερηφανία *dicitur*, Hesychius, ὄγκος, φύσημα, ὑπερηφανία. *Glossæ Stephani*, ὄγκος *tumor*: ὀγκοῦμαι *turgeo. Neque quicquam usitatius, quam ut absolute usurpetur; ut cum Plutarchus*, ὄγκου καὶ φρονήματος γέμοντας, *tumore & opinione de se plenos percipiendis disciplinis*

*Plutarch. lib. de Auditu.*

*Heins. in N. T. pag. m. 579.*

*nis eſſe inutiles dixit. Et certe ut ὄγκος (qualis gravitas quæcunque) currentibus imprimis ac luctantibus obſtare ſolet, ita, ubi de progreſſu agitur, quæ voce hac continetur, perſuaſio grave impedimentum eſt ac moleſtum. Tum* miſerandum & ridiculum quorundam caſum, qui propriâ antehac opinione in cælum ſublati ſubitoque inde deturbati, doctis indoctiſque ludibrium poſtea debuerunt. Vera etenim eruditio ſolâ conſcientiâ contenta eſt, nec ambit gloriam, ſed trahit. Ficta omnia mendaciis gaudent & fucum facere contendunt, qui ubi ſemel ſpiritu doctrinæ ſolidioris fuerit diſcuſſus, illico tanquam fulmine tactus *oſtentator* concidit, jacetque exanime ac ſine ſanguine corpus: ut enim nullum ſimulatum diuturnum eſt, & tincta omnia celeriter tanquam floſculi decidunt, ita nihil mi-

*Eraſm. Adag. pag.* 33.

nus

nus durabile, quam eruditionis non medulla ſed larva. Eorum quippe, quibus Therapontigoni hujuſmodi impoſturam facere cogitant, *cordatiores* alii ſunt, alii vecordes & *ſimpliciores*. *Cordatis* ſtatim gravis eſt & ſuſpecta fugitivorum illa magnificentia, adeoque cum Pyrgopolinicem aliquem magna voce pugnas & facinora ſua cientem audiunt, mox *nimium tinnis* (inquiunt) *non places*. Qui vero *ſimpliciores* ſunt, hos quidem decipit aliquandiu leo ille Cumanus, terretque horribili quaſi ſpecie pavidos; verum ubi detracto ſpolio ad ſuam ſpeciem faciente, id eſt, ad aſinum, redierit, laſcivi pueri aures ei & barbam vellunt. Exemplo hic tantum ſit *Baſius* ille Juriſconſultus, qui cum tam inconſulti *tumoris* & furoris eſſet, ut *Alciatos*, *Cujacios*, *Hotomannos*, *Viglios* &c. altiſſimo præ ſe ſuper-

*Ant. Matth. de Vet. Jureconsult. modest. Orat. Pecul.*

percilio contemneret, gloriareturque a se solo animadversum esse, quod multis jam sæculis universos plane latuerat, tam flagitiose turpiterque superiore æuo discessit, ut jam lateat plane misellulis cum obscuris viris, nec quicquam pene *Basii* post rogum supersit. Ejus scilicet *Basii*, cujus hæc inter alia fastuosa fuerant verba: *Studiosus lector hanc nostram doctrinam diligenter animo infigat, quia etsi trecentos in doctorum scriptis evolvendis palleret annos nihil simile ac tam solidum in hac materia est deprehensurus*. Nos poma natamus! Ipse *Acontius* Tridentinus, de quo jure, quod de *Origene* olim dictum, quod *ubi male, nemo pejus; ubi bene, nemo melius*, utut alias humilioribus haudquaquam accensendus: hac eadem tamen consideratione Eruditorum *superbiam* deprimere etiam studuit: *Quoniam*

*enim*

*enim* (inquit) *ſenſim irrepere in hominum parum attendentium animos ſtulta ſolet* confidentia, *eaque ubi invaluit, præſertim ſiquidem popularis aliqua adſpiret aura, diffidentiæ locum relinquit nullum: illâ unâ ratione videntur ad modeſtiam revocari poſſe omnes, ſi tantum inſpiciant, quam magnus fuerit in omni ætate numerus eorum, qui cum ſibi de ſe ſumma omnia promiſiſſent, ridiculi tamen præter modum evaſerint.* Fuit vero hic *Acontius* (dicendum enim hoc, ne lateat, quare ipſum cum *Origene* comparatum voluerim) vir verè doctus, ſed ingenii, ut acris quidem, ita elatioris & juſto liberalioris, quin a neſcio quali ſcepticiſmo & indifferentiſmo in ipſam Theologiam introducendo, vix ſatis alieni; quod Tractatu ſuo *de Stratagematis Satanæ* teſtatum ſatis fecit. Libello equidem (*Simone Goulartio* judice) om-

*Acont. Ep. ad Wolphium, de Edendor. libr. ratione*

*Graſer. in Præf. ad Tractat. de Stratagem. Sat.*

*Trigland. Hiſt. Eccleſ. pag. 322.*

nium malorum pessimo. Voetius ei adscribit, *quod vel imperitè vel subdolè communem confessionis conceptum molitus sit, sub cujus vexillo militare possint & ipsi Ariani.* Neque omittendum, quam festive olim fungos hujusmodi flatulentos ostentui habuit Imperator *Nero*, de quo sic Plutarchus: Erant (inquit) qui „ fastu elationeque sic turgidi, se „ Regibus pares esse prædica„ rent: Hos *Nero* convivio ad„ hibuit, ac super utres sedere „ fecit; dum ergo illi accum„ bentes & quasi utres utribus „ insidentes, *sedibus* suis magis „ intumescerent, quod sic ho„ norarentur ab Imperatore, mi„ nistri *Neronis* jussu, utres il„ los acu perforabant, ita ut in„ flati turgidique illi homuncio„ nes, utribus aëre evacuatis, „ humi sese prostratos non sine „ Imperatoris aliorumque gau„ dio deprehenderent.

*Voet. Polit. Eccles. part. 3. lib. 3. in Indic.*

*Spe-*

*Spectatum admissi risum teneatis amici.*

Neque minus facetè *Martialis in Attalum*, Ludionibus hujusmodi, proprio suo judicio, quasi *cunctipotentibus*, haud absimilem, dum ait:

*Declamas bellè, causas agis,* Attale, *bellè:* Martial. lib. 2. Epigramm. 6.
*Historias bellas, carmina bella facis:*
*Componis bellè mimos, Epigrammata belle:*
*Bellus Grammaticus, bellus es Astrologus:*
*Et bellè cantas, & saltas,* Attale, *belle:*
*Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.*
*Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle:*
*Vis dicam, quid sis? Magnus es Ardelio.*

XXIX. Obtendit quidem, *Nostrorum Primus, se ejusmodi invidiæ non esse, ut solum legi velit.*

*lit.* At colligas facile ex allegatis, protestationem hanc facto contrariam esse; nam quorsum ergo est, quod tot præstantium & piissimorum virorum utilissimos labores tam odiosè perstringat conatuum alienorum defricator, quam ut iis submotis, propriarum mercium solus monopolium exerceat? Oblitus procul dubio verborum *Gregorii* in quibus Episcopos olim *Alexandrinum & Antiochenum* sic monebat: *Absit hoc, absit* (inquiebat) *a Christianâ mente, id sibi velle quenquam arripere, unde fratrum suorum honorem imminuere vel ex quantulacunque parte videatur*. At sic sunt jam tempora, sic homines: multis in ore continuo est illud Tzopharis: *Non respondebitur, tacebunt omnes non est qui pudefaciat*; sed quis non reponendum iis judicat. hoc *Jobi*, spiritu Dei verè ducti: *Scilicet vos estis populus & vo-*

*Gregor. Epist.* 36. *lib.* 4.

*Job.* 11. 2. 3.

*vobiscum morietur sapientia*: Quæ verba piissimè hunc in modum παραφράζει Celeberrimus D. *Coccejus*, *Non est* (dicit) *dubitare fas, quin ita sit, quia vos dicitis, nam & vos estis populus, & vobiscum morietur sapientia, q. d. soli sapitis, & solis vobis mysteria Dei revelata sunt. Similiter objurgat Corinthios Apostolus* 1. Cor. 14. 36. Aut a vobis sermo Dei egressus est? aut ad vos solos pervenit? *Non debet quisquam* φιλαυτίᾳ, αὐθαδείᾳ & *sua opinione sapientiæ esse suffarcinatus, ut putet* οἷος πέπνυσθαι, τὰς δὲ σκίας ἀΐσσειν, *solum se sapere, alios vero umbras vagari. Potest fieri, ut tibi quippiam revelatum sit, noli id tanti facere, ut te solum audiri, te solum prædicari æstimarique postules. Potest enim & sedenti aliquid revelari* 1 Cor. 14. 30. *Et forte melius majusque, quam quod tu nosti, quodque tu tacitus, si sapias, audias & dis-* Job. 12. 2. Coccej. in Job 12. 3.

Cyprian. Ep. ad Quintin.

*cas.* Quibus gemina *Cypriani* hæc sunt. *Nostra ne pertinaciter amemus, sed quæ aliquando a fratribus & collegis utiliter & salutariter suggeruntur, ipsi potius amplectamur.* Aliam viam qui calcant, habent certè quod dubitent, an scientia sua, quam jactant, vere Divina, spiritualis, & salutaris quidem sit, quum tantam animi connexam elationem habeat. *Pauli* saltem verba istiusmodi cognitioni minus favent, dum dicit: ἡ γνῶσις φυσιοῖ, ἡ δὲ ἀγάπη οἰκοδομεῖ. *Scientia inflat, charitas ædificat.* Multo equidem laudabilius inter *Antiquos* inclaruit olim *Hilarius Pictaviensis* (distinguendus enim hic ab *Hilario Romano*, & *Hilario Arelatensi Episcopo*) dum, utcunque *eloquentiæ Latinæ Rhodanus, Latinique sermonis tuba* Hieronymo non tantum dictus, sed & *tanquam vitâ doctrinâque divinus, in dignoscendis hæretico-*

1. Cor. 8. 1. 2.

Prov. 3. 2. 3.

rum

*rum imposturis & versutiis acutus, exercitatus, & ad persuadendum commodissimus*, a quibusvis fere deprædicatus, adeo tamen abjectè de se ipso sensit, ut *imperitissimum omnium sese & indoctissimum dixerit*. Nec non inter *Recentiores Celeberr. D. Samuel Bochartus & Johannes Coccejus* (quos duos tantum hic laudo, quod quantivis pretii apud Calliphanes nostros sint) quorum *ille*, eruditionis licet abyssus, adeo tamen propriæ opinionis & æstimationis expers fuit, ut haud semel commissos in scriptis suis errores publicè professus sit. *Ingenue agnosco* (inquit inter alia *Geograph. Sacr. lib. 2. cap. 14.*) *nos in iis errasse, quæ de* Caspiis *portis &* Nisæo *campo diximus, quia &c. Hic* Philologorum ut ut procul dubio Aquila (neque enim ipsa invidia negare ipsi elogium potest, quo abhinc quinquaginta modo annos

*Centur. Magdeb. Tom. 2. Cent. 2. cap. 10: Hieronym. Apolog. c. 1 Ruffin. Hilar. lib. de Synod. c. Arian.*

*Lasit. de Gest. Franc. lib. 6.*

*Bochart. Phal. lib. 2. cap. 14. pag. m.* 108.

*Amam. in Ep ad Martin.*

eum decoravit Clar. D. *Amama*: quod nempe *divinitus excitatus sit, ad provehenda altius linguarum orientalium studia, & reseranda nobis Judæorum sacraria; Nullus* enim Christianorum tantum in *Thalmudicis unquam præstitit, quantum ille in eruditissimo, & de quo non nisi eruditissimi judicabunt, Scripto*) in postloquio libb. *Sanhedrin* suffi xo non tantum dixit: *Neque diffiteor fieri posse, ut utilia quædam hoc primo conamine nostro ne agnita quidem sint*; sed & ipsis addidit verbis: *Illud ingenue profiteor, in quibusdam me, cum putarem me sensum illorum percepisse, hallucinatum & lapsum esse.* Sic illi. Et quanto sane non satius litteratis quibusvis foret, cum hisce horumque similibus Heroibus, *modestiæ* laude Christiano Orbi innotescere, quam contumelioso hoc in Annalibus stigmate notari, quo *Andreas*

*Osian-*

*Osiander* insignitus apparet: nempe *quod suas opiniones plurimi, aliorum flocci fere fecerit*; quinimo rogatus obnixe à *Johanne Laurentio*, ut cum aliis Theologis super suâ de *Justificatione peccatoris per essentialem Dei justitiam* sententiâ, placide conferret, indignabunde responderit: *Satis se jam* Asinis *fecisse; indignis qui calceos suos portarent.* A quâ dicendi amarulentiâ, intolerandâque ἀλαζονείᾳ quam procul distet modernorum quorundam, idque usurpatissimum quidem dicterium, cum de νεοσοφίας suæ arcanis loquuntur, *de his non gustabit Asinus*, penes alios judicium esto. Saltem, juxta *Timonem*,

*Læti Compend. Histor. Univers. pag. m. 40.*

Πȣλυμαθημοσύνης ὡς ȣ̓ κε-
νεώτερον ἄλλο.

*Multi scientiâ haud quicquam
vanius extat.*

Et

*Sophocl. Antigon.*

Ὅστις γὰρ αὐτὸς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ.
Ἢ γλῶσσαν ἣν οὐκ ἄλλος, ἢ ψυχὴν ἔχειν
Οὗτοι διαπτυχθέντες ὤφθησαν κενοί

*Quisquis ille est, sapere qui se unicè*
*Mentem linguamque sibi aliam quam aliis putat,*
*Hos si explices*, vanissimos *deprehendes.*

contemnunt enim omnes & omnia quotquot se ipsos contemnere non didicerunt.

XXX. Fætet dubio procul hic tumor in omnibus, at maxime tamen in *junioribus*, quos, prout ipsi ob juventutem contemni minimè debent, haud quaquam etiam decet, omnes alios, qui ætate ipsos, sapientiâ

tiâ experientiâque longo post intervallo relinquunt, præ se despicere: quare & hoc mage mirandum, quod imberbes sæpe invenias adolescentulos, artis Dialecticæ reliquarumque plane ignaros, qui nescio quæ non Paradoxa nonnunquam somniant, *innovandi* libidine pruriunt, verborumque & loquendi imperiti, *novas* rebus *formas* dare, impetu multo sæpe, ac senes ferociore, haud quaquam detrectant; præstantissimæ illius *Cretensium* legis, *Platoni* etiam laudatæ, immemores, qua *juvenes* reprehendere leges vetuit, senem vero, si quid excogitasset, Principibus & æqualibus, ne ullo quidem *juvenum* præsente vel audiente, referre sancivit. Est quidem, quod & dari nonnunquam possit παῖς ἑκατονταέτης, id est, homo, qui ipsis juvenilibus annis magnâ scientiâ imbutus sit

(ut locum de *puero centum anno-rum*, Ef. 65. 20. nonnulli in-terpretantur; explicatione, meo judicio, non usque adeo absur-dâ, utut forsan insolentiore; non nescio enim haud postremæ caveæ Theologos, *Gregorios*, *Pellicanos*, *Lyranos*, *Drusios*, *Cocburnos*, *Gathakeros* &c. pla-ne aliter eum sumere.) Quo-niam anteacta non tantum ætas sed & recentior præcocia istiui-modi ingenia affatim tulit. Au-gustinus *anno* vitæ suæ *duodeci-mo* omnes Theoreticos & Lo-gicos Aristotelis libros optimè intellexit. De Avicenna refe-runt, quod ætatis suæ *anno de-cimo* tam luculentum ingenii sui specimen præceptoribus de-derit, ut omnibus esset miracu-lo; totum Alcoranum, *Muha-medanus* enim erat, memoriâ teneret, reliquasque discipli-nas per se, nullo usus magistro, sed assiduo labore, perpetuis vi-

giliis,

giliis, summaque animi contentione ante ætatis annum *octavum* & *nonum* didicerit. Jacobus Crinitus, Scotus (qui transacti dudum *sæculi monstrum, prodigioso naturæ opificis conatu editum* inde dictus est) *vicesimo primo* ætatis anno non tantum decem linguarum, sed & Philosophiæ, Mathematicæ, Theologiæ omniumque disciplinarum peritiam sibi comparavit. Nicolaus Rigaltius ætatis *anno decimo septimo Funus* suum *Parasiticum* non sine laude evulgavit. Philippus Melanchton à Frederico Saxoniæ Electore ex Tubingensi Academiâ ad Wittenbergensem evocatus, *viginti duos* annos tantum numerabat, & hoc à Præceptore *Simlero* ornatus testimonio discessit: *Quotquot ibi* (Tubingæ) *essent docti homines, non esse tam doctos, ut intelligerent, quanta esset doctrina ejus* (Melanchtonis) *qui inde* *voca-*

*Scultet. in Annal ad Ann.* 1518.

*vocatus discederet.* Josephus Scaliger *annos septendecim* vix natus *Oedipum* Tragædiam confecit, in quam non omnia tantum ornamenta Poëtica, sed verborum etiam delectum non vulgarem impendit. Burchartus Wirzius, studiosus Tigurinus, ætatis anno *decimo quarto* litteras ad *Zuinglium* exaravit tam facundas, ut omnibus admirationi fuerint, ætatemque non tantum sed & seculi barbariem longè superarint. *Duo* earum specimina exhibet *Cl. Hottingerus.* Sed quidni Belgas memorem? *Gisbertus Vœtius*, Theologus Ultrajectinus, Patria Heusdanus, Vir utique in provectiore ætate, quam produxit ad annos LXXXVII. fuit verè magnus, quod multorum celeberrimorum virorum elogiis demonstrari posset; inter omnes clar. D. *Stephanus le Moine*, Professor Leidensis, *museum*

*Hottinger. H. E. ad sec.* XVI. *part.* 2. *pag.* 287.

*vivens*;

*vivens*, *Bibliothecam viventem*, *Divino incoctum pectus amore* eum dixit. Sic de *juvenilibus* ejus annis hoc supra alios observavit Vatum Belgicorum ἐμφατικώτατος *Constantinus Hugenius*; quod & iis ipsis Patriæ & Ecclesiæ afflictis insigni adjumento fuit. Sic enim de eo in *Epicedio*, exequiis ejus scripto:

*Qui Patriæ quondam* vix è lanugine primâ,
*Præstitit* ingenii pæne senilis *opem*.

Illustris *Grotius* anno ætatis suæ *quinto decimo* insigne *Martiani Capellæ* opus, notis tersum, & ab innumeris mendis emaculatum, in lucem emisit. *Johannes Markius* denique, raro exemplo, ipsissimo vitæ suæ anno *vicesimo* Cathedræ non tantum Ecclesiasticæ sed & Professioni Theologicæ fuit admotus, quam

Spar-

Spartam etiamnum tam strenuè ornat, ut juventuti studiis devotæ non tantum insignis stimuli, sed Academiæ etiam Patriæ (Franekeranæ) miraculi loco existat. Utcunque autem (ut dixi) hæc ita sint probabilissimum tamen est, ut rite observatum à *Calvino*, *seniores eos quidem, qui proficiendo vixerint, plus sapere junioribus.* Ut enim Socrates in symposio Platonico, *tunc demum mentis oculus acutè incipit cernere; cum corporis oculus incipit deflorescere.*

*Calvin. in Iob.15.19.*

*Socrat. in sympos. Platon.*

XXXI. Attendi ergo *Thrasonibus* nostris ex animo optem, præsertim primævo flore virentibus, ad *Eliphazi* hæc verba, emphatica sane, ut ut piissimo Jobo malè applicata: *Num tu in secreto Dei audivisti? & detraxisti ad te sapientiam? Quid nosti quod non norimus? quid percipis, quod non penes nos sit? Etiam* canus, *etiam* vetulus *est*

inter

*inter nos, major Patre tuo diebus.* Abſit tamen, ut à Viris ingenuis in Pyrrhonicâ quadam ἐποχῇ, vel in deſidioſâ rerum tum naturalium tum ſupernaturalium ſcientiam ulterius, quam hactenus ſtetit, producendi diſperatione, ignorantiæ latibula quæri concedam: injuriâ enim iſtoc pacto adficeretur Deus, qui quippe plurima hiſce diebus, quæ antehac profundiſſimis tenebris merſa fuêre, è *Democriti* velut puteo eduxit, & in mundi Theatrum collocavit, etiam à modicis tantum ingeniis, curatê ea conſiderantibus, facile imbibenda. At vero ut damnoſiſſima hæc ſcylla evitanda eſt, ita neque in longe eâ pejorem, *Arrogantiæ* nempe, omnium pene rerum ſcientiam jactitantis, omniaque alia præ ſe ſuiſque ſuperbè contemnentis, charybdin incidendum: ſed mediâ incedendum viâ, ut ne-

que

que ingratitudinis in Deum, neque fastuosi coram hominibus supercilii rei unquam peragamur. Scitè hanc in rem Cælius Lactantius: *Nusquamne igitur sapientia est?* (inquit) *imo vero inter Philosophos fuit, sed nemo vidit. Alii putaverunt, sciri posse omnia. Hi sapientes utique non fuerunt. Alii nihil: ne hi quidem sapientes fuerunt. Illi quia plus homini dederunt; hi quia minus: utrisque in utramque partem fuit modus. Ubi ergo sapientia? ut neque* te scire omnia *putes*, *quod* Dei *est*, *neque* omnia nescire, *quod* pecudis. *Est enim aliquid* medium, *quod sit* hominis, *id est*, *scientia cum ignorantia conjuncta & temperata.* At de his satis. Plura qui desideret, adeat Theophili Spizelii *Infelicem Literatum*, sive *Novas Commonefactiones Historico-Theosophicas*; opus sane lectu dignissimum, at post conceptum, imò prælo modo commissum hunc commentariolum,

*Lactant. de Fals. Relig. lib. 3. cap. 6.*

mihi demum visum; in quo eruditus Autor tot superbientium & altivolantium ingeniorum produxit exempla: ut injurius in ipsum videatur, qui quicquam addat. Operæ interea pretium summopere fuit, notabiliores aliquot hujusmodi Pyrgopolinices in lucem semel trahi; *tum* quod publicis scriptis genium suum ipsi satis superque prodiderint, publicèque prævaricantes publicè etiam luere nefas haudquaquam sit, juxta illud Apostoli: Τοὺς ἁμαρτάνοντας ἐνώπιον πάντων ἔλεγχε, ἵνα καὶ οἱ λοιποὶ φόβον ἔχωσι. 1 Tim, 5. 20. *tum* ut constet

*Spizel. commonefact. Nov. pag. 371. &c.*

*Quam distent æra lupinis*,

quantoque majori in pretio illi inter Theologos habendi non sint, quorum Christianæ *modestiæ humilitatique* litare & mos & animus semper fuit. Quales profecto etiam inter eos esse, quorum turbam *Triga* nostra

hæc

hæc sequitur, nemo est, qui dubitet: Viros doctos, prudentes, facundos, ipsasque suas animas pro nomine Domini nostri Jesu Christi exponentes, quibusque adeo omnium eorum, quæ dicta hactenus sunt, ne apicem quidem applicatum velim. Doctus enim jam dudum per Dei gratiam sum, nullos non pios, in quibus *aliquid* modo *Christi* apparet, in minutioribus quibusdam licet dissentientes, partiumque studio plus justo forsan abreptos, omissis eorum nævis, quorum quippe ipse expers non sum, ut caros fratres suspicere & excipere.

XXXII. Restat amaræ *invidentiæ* ærugo, quæ Eruditorum animos plus justo fere occupans, subinde eos etiam impellit, ad aliorum labores fastidiosè satis contemnendos. Vidit & questus id modo est, abhinc sesqui sæculum, doctissimus Hispanus *Ludo-*

*Ludovicus Vives*, ut hæc ejus verba indicant. *Illud magnopere dolendum est* (inquit) *insidere sæpe numero ingeniis doctorum quidem sed non æque bonorum hominum periculosum* invidentiæ *virus*, *quâ bona opera incessant*, *lacerent*, *proscindant aut perdere conentur*; *profutura aut allatura lucem obscurare*. Et audi Hieronymum: *Accedunt* (quæritur) *ad hoc* invidorum *studia*; *qui omne quod scribimus putant reprehendendum*. Imò vero non *contemtus* duntaxat, sed & interitus ipse præstantissimis quibusdam lucubrationibus perniciosissimâ hâc peste intentatus sæpe est. Tanto enim olim in *Gregorium M.* prædecessorem suum *livore* accensus fuit *Sabianus* Papa, ut parum abfuerit, quin omnes boni *Gregorii* libri Vulcano fuerint dicati. *Adeo* (inquit) Platina) *in Gregorium irâ & invidiâ exarserat homo malevolus*. Ut ne-

*Luduvic. Viv. in Præfat. ad August. de C. Dei.*

Hieronym. *ad Rustic. de Vitâ Monastic.*

*Platin. de Vit. Pontific. pag. m. 187.*

neque sors forsan obtigisset melior *Mosis Maimonidis* voluminibus (κατ' ἐξοχὴν מורה צדק *Doctoris Justitiæ Hebræis* dicti, de quo passim, *à Mose ad Mosen non surrexit sicut Moses*) *eo quod aliqui tantæ nominis celebritati* invidentes, *nihil non & contra ipsum & contra* scripta *ejus molirentur*: nisi alia quædam intercessisset causa, quæ funestissimum illud periculum avertisset.

*Pocock. Porta Mos. in Præf.*

XXXIII. Atque hæ quidem hactenus turpissimæ *μισοβιβλίας*, de quâ huc usque egimus, primariæ extiterunt causæ. Quibus siquidem justa & opportuna modo adhiberentur remedia, nullus dubito, quin scripta Eruditorum omnia, in timore Domini exarata, justo suo æstimarentur pretio, multis profutura, nemini obfutura, hoc uno tantum a legentium partibus accedente, quod non nisi benevolenter, & quod summum est,

eſt, diſcendi proficiendique ſtudio ab iiſdem excipiantur, volvantur & revolvantur.

XXXIV. Quodſi vero neque hoc ſuccedere ex voto contingat, prout ſemper ſunt, qui omnia in pejus rapere ſolent, & non cavillari alia non poſſunt, licet vel in ipſâ nive atramentum quærerent, contemnere tum diſcant ſcriptores animoſi omnes contemtores ſuos, neque eorum malevolentiâ vel maledicentiâ injuſtâ ab inſerviendo ſcriptis ſuis publico ullatenus deterreri, nedum dimoveri, ſe ſinant. Veriſſimum enim eſt, *Platone* teſte, librum qualemcunque inter homines prodeuntem, in Novum veluti deferri orbem, varieque paſſim a variis tractari & accipi ſolere; *illis* benignè ac officioſè, *hiſce* contrario plane modo contra novum hoſpitem ſe habentibus, adeo quique ſuo peculiari ſunt ge-

genio; sine ingenio, imo captu potius, quam ingenio aliorum omnia metientes:

Symnach. lib. 4. Epist. 185.

*Pro captu lectoris habent sua*
*fata* libelli.
*Et quod scire grave est, carpere cuique leve est.*

*Mediocribus sæpe scriptis* (inquit Symmachus) *amicorum benignitas favere novit, alienorum invidia ignoscere non novit.* Oppidò difficile est, vel paucorum sæpe satisfacere expectationi, nedum omnium. Hinc Poëta

Horat. Epist. lib. 2. Ep. 2.

*Tres mihi convivæ prope dissentire videntur*
*Poscentes vario multum diversa palato.*
*Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod jubet alter.*
*Quod petis id sane est invisum, acidumque duobus.*

Hoc

Hoc mage, quod rigidiores Aristarchos censoresque hic tales passim experiamur homines, qui (verba sunt Hieronymi) *judicare tantum de aliis & ipsi nihil agere noverunt, interdum contra se conscientiâ repugnante, publice lacerantes, quod occulte legunt.* Quique (prout Idem alibi) *per angulos garriunt, de mundo sententiam ferunt: Hic bene dixit* (scripsit) *ille malè; ille scripturas novit, ille delirat; ille loquax, ille infantissimus est: Contra quemvis passim in triviis strepentes, & scurrarum & parasitorum instar maledicta congerentes.* Vel, ut ille apud comicum, crepantes semper

*Hieron. ad Rustic.*

*Idem ad Domn. op. tot; 2.*

*Hoc salsum est, hoc adustum*
*est, hoc lautum est parum,*

*Illud rectè.*

Quemadmodum & certum est, in imperfectione hâc Epidemicâ omnia, quæ tentamus, nunquam perfecta adeo esse, quin facile adhærescere iis quid possit, quod, ut non satis exasciatum, zoilus quis arguere possit & carpere; quippe oblitus plerumque, facilius multo esse μωμεῖσθαι, quam μιμεῖσθαι. Adde quod neque omnes, qui Terram nostram occupant, βιβλιομάστιγες hujusmodi sint, scriptoribus ingenuis graves, absit: Sexcenti adhuc supersunt, qui præposterâ illâ sugillandi libidine haudquaquam laborantes, gratissimo affectu *novos* libros accipiunt, laude prosequuntur Autores, nec non Deo pro eximiâ iis publico sæpe præstitâ operâ, magnas gratias agunt. Faciat itaque tantum *Scriptor* quod suum

*Terent. Adelph. Act. 3. Scen. 4.*

suum est, &, si quid bene egerit, soli Deo id tribuat, legentiumque semper mage bonum, quam quod proprium est, scriptione suâ intendat & quærat; Cætera Saturninos quosvis *Aristarchos* inhumanosque *Timones*, quorum oculis ne Maroni quidem *Tulliique* unquam placuerunt musæ, nullo loco habens. Et spondere ipsi ausim, optatum conatibus suis successum nunquam defuturum esse. Rite alicubi Cicero: *Ejice modo te de navi, præsto est, qui excipiat, vel Delphinus, ut Arionem Methymneum, vel Pelopis illi equi Neptuni, qui per undas currus suspensos rapuisse perhibentur.* Sive, quod magis Christianum, *officium præstare* scriptoris *esse* cogitato (verba sunt magni Spanhemii) *candorem* lectoris, *eventum successumque* Dei, non hominis.

*Cicer. 2. Tusculan. Quæst.*

Claudam quæ huc usque de materia hac edisserui *Aloysii Novarini* tam piis certe verbis, tam demissis, ut dignissima sint, quæ profundissimis cujuscunque boni tum *Scriptoris* tum *lectoris* præcordiis infixa semper hæreant. Patiar (infit) literarium Orbem scire, „ quid imbecillitas mea, Deo „ innixa, valuerit, & quid vo„ luerit, ut omnes Divinum Nu„ men mihi propitium red„ dant, ne ad pænam mihi sit, „ chartaceis opibus operibusque „ divitem esse, illis vero carere, „ quæ ab animæ superâ gratiâ „ gravidæ fæcunditate sunt. „ Quid mihi proderit, si plura, „ quam ullus alius effuderim vo„ lumina, si librorum multitudi„ nem bonorum operum steri„ litate inficiam conficiamque, „ & tanquam cadavera, anima „ vidua, quodam torpore & otii „ sepulchro sepeliero? Det mihi

*Novarin. Encyclopæd. Ep. p. 2.*

„ Deus

„ Deus libros in opus vertere,
„ & illa ſcribere facienda, ut fa-
„ ciam quæ poſſunt ſcribi. Multa
„ huc uſque volumina, vir Do-
„ ctiſſime (deſignat *Gabrielem*
„ *Naudæum*) orbi obtuli, plura
„ porro, quæ deinceps emitten-
„ tur, ſed quid certi ſpondeam
„ incertus, an diem craſtinum
„ ſim viſurus. Ut vitam & vires
„ Deus dederit, in Dei gloriam
„ legentiumque profectum e-
„ mittam paulatim, quæ pro-
„ miſi. In libris, quos edidi e-
„ damque deinceps illud cave-
„ bo, ne laudis humanæ letha-
„ lis aura labores meos inficiat.
„ Sancti *Hieronymi* verba licet
„ uſurpare; nam nec aliam à
„ mente ejus mentem circumfe-
„ ro: *Nobis propoſitum eſt, non*
„ *plauſum legentium ſed fructum*
„ *proficientinm quærere: qui hunc*
„ *plauſum ſequitur planctu proſe-*
„ *quendus eſt, & incipit laude in-*
„ *di-*

„ *dignus esse, qui legentium laudem* „ *ambit*. Denique multa qui „ scripsi errare in multis potui, „ ego hic errores omnes ejuro, „ &c. Sed jam, vir Doctissime, „ habe, quæ tu optabas & ego „ debeo, quia sum pollicitus. „ Tantum, dum hic sumus, ita „ litteras colamus, ut vitâ no- „ strâ functi, inter eos esse pos- „ simus, qui, quod sanctus Da- „ niel dixit, *quasi stellæ fulge-* „ *bunt in perpetuas æternitates*.




FINIS.